Cim

6201-

6203

THANATOSOPHIA
NEMPE
MORTIS MVSEVM,
IN QVO
Demonstratur esse tota Vita ab introitu ad interitum vanitas vanitatum, atque per omnia vanitas: esse Mors limen veræ Fœlicitatis.

A Mag. IOANNE CARAMVELIO LOBKOVVITZIO CIST. S. Theol. publico Professore Lectore expensis Mysticè-vtilibus erigebatur.

BRVXELLÆ,
Typis LVCÆ MEERBECII, 1637.

PROLOGVS.

Hoc mortis, inter Muſea Parnaſſi, vltimum: anterius publicatur: quid cauſæ? Mors erat eloquentior Apoſtolo. Plura demonſtrat hæc, quam Chriſtus, quoniam ab hoc Fides, ab illâ non niſi euidentia veritatis. Ideò Acroamata Mortis ſunt omnibus aliis præponenda.

PARNASSOGRAPHVS tot Muſea erexero, quot Facultates Myſticis radiis illuſtravero. Vltimũ dixi Vitæ limiti, Rerum Termino, Hominum Incolatui. In eo Mors pro roſtris eloquitur ſub vitæ crepuſculum incertè-veſpertinum. Dictat veſperi, verumtamen audienda manè. Antequam veniat? Herculè, cum enim adfuerit, pennæ proderũt, vt è vitâ evoles, non attamen vt facienda deſcribas. Verè ſpiritui ignauo nec deerunt pennæ! nec earum pediſſequæ! quæ? pœnæ. Has ſanè vitaveris, ſi Morti fueris Matutinus: has inſanè patieris, ſi fueris Auditor Veſperarius. Parcat Muſeorum curioſa diſpoſitio. Pateat aditus vltimo, ante quam primo; etenim Mortis Magiſterium unum ſufficit. Sapiens herculè, qui cognouerit benè-devivere, quãlibet alia neſciat: & Polyſophus quiſque, ſi malè-devivat, indoctiſſimus. Præceptor nullus, nequis Magiſter, ſi rem oculatiùs conſideres, præponendus eſt Morti: nuſquam ſapientiæ avara homines docet liberalis.

Declamabat olim Apoſtolus Gentilium Paulus. (Actor. 20.) *Erat concurſus plurimus. Cœlitùs-magneticâ virtute, non ſine Corporibus adliciebat ſedulus cunctorum Animos. Intenti ora tenentes, ab*

ipſius

ipsius innumeri pendebant. Propinaculi appendix peribolis, vel horum inconstantiâ, vel ejusdem incuriâ, in præceps corruit Adolescens. Aërem dividens fatigat lapidem, & ceruicibus sanguine multo dilibutis, vltimum Vale dicit Animo. Sarcophagoq; primum Salue. Eodem tabo Marmor describitur, vt sit manumissionis Codex Animo, locationis superstiti corporeæ parti. Habuit Iuvenis finem in Capite, & sibi cruore Characterico siue Epicœdium, siue descripsit Epithaphium. Subsequitur silentium Pauli! an carpendi?

Igitur (Macte animo Apostole) permitte mortuis, mortuos suos sepelire; stude vitæ, & supersede Mortem. Declama Christum Crucifixum, Fidem persona Catholicè-Christianam. Majoris (haud dubitem) exstat Pietatis argumentum Mortuis-Animo, Vitalem instructionem rependere, quam Mortuis-corpore vittalem. Prorsùs eloquere; vel qui minùs velis, expende secretissimas silentii causas.

Sim Apostolus (ait) in dicendo eloquens, in persuadendo efficax, in monendo fortis, in carpendo seuerus, nunc temporis tacere oportuit, Mors sed enim me eloquentior, fortior, seuerior, efficacior aderat, & plus hæc unica Mortalis docet, quam innumeri, hique doctissimi Magistri, & Præceptores. Plus anhelitus ultimus, quam ego, vel coætanei mei Apostoli potuissent demonstrare.

Addiderim. Quam nondum-mortuus Christus plura homini demonstrat Mors. Post hanc nullum Christianæ Admonitiones fructum habent, cum iis potiùs illa deberet præueniri. Plurima ante passionem Christus præstitit, stupenda potiùs, quam miranda. Neruos Opticos Lumine, expeditione illiberales, valetudine debiles, rectitudine humores donauit plurìes-exorbitantes. Medetur singulorum Animo, & corpori, atque subjungit ideò: Noli ampliùs peccare.

re. *Hoc breuißimè-maxima Admonitio erat, & quà à Deo summè-efficax, & quà ad fragiles facilè-necessaria. Cæterùm excitatum Lazarum non admonet; quid causæ? An eum minoris facit Dominus, quam plures alios, quibus & mederetur, atque commonefaceret? Absit. An ille fuerat inpeccabilis? minimè. surexit ex sepulchro iterum moriturus: debebat ideò & deficere Corpori, atque poterat Animo. Cur ergo admonitor empireus ille, cum instrueret reliquos, supersederit Lazarum? Haud fallor, aut propterea immonitus relinquitur, quod superflua iudicaretur Admonitio. Deuixerat, & ideò ingressus Mortis Academiam, audierat Moderatricem Cathedræ, ex quâ non nisi prodeunt veritates. Doctus à Morte non doceatur à Christo, is enim securè-obscura erudit, sed illa edisserit securè-clara. Ille Fidem obscurißimè-certam; euidentias dillucidat hæc per se notas.*

Taceam igitùr Mysticus Artifex, dum Mors eloquitur, cui resonanti non Apostoli modò, sed ipsemet Redemptor uniuersorum tacet. Pateat mortis Museum, antè quam alia, quæ minoris intersunt, erigantur. Audiamus unam Mortem. Studeamus ipsi rerum terrestrium demonstraturæ vanitatem. Musea reliqua, quamuis curiosè rara, typo subiaceant negligenti; quousque seduli excipiamus Theoremata, quæ per varias Acroases Anhelitus postremus dictat.

PARS PRIMA.

Omnis Sapientia humana VANITAS.

IDeabat Boetius *Metro* 8.l.3. Ignorantiã superbè-efferi conceptus Venatricem laqueis pluribus genus Humanum irretientem. Concedit Linguam mensuris, qui antè Animum, (non enim profuisset leges posuisse voci, si illis Cor denegasset-) Cecinit lachrymabundus sic:

Heu! heu! quæ miseros tramite devio
Abducit Ignorantia!
Non aurum in viridi quæritis arbore.
Nec vite gemmas carpitis.
Non altis laqueos montibus abditis,
Vt pisce ditetis dapes.
Nec vobis Capreas si libeat sequi,
Thyrrena captatis vada.
Ipsos quin etiam fluctibus abditos,
Norunt recessus æquoris.
Quæ gemmis niveis unda feracior,
Vel quæ rubentis purpuræ.
Nec non quæ tenero pisce, vel asperis
Præstant Echinis littora,

Sed

Sed quoniam lateat, quod cupiunt, bonum,
Nescire cœci sustinent.
Et quò stelliferum transabiit Polum,
Tellure demersi petunt.

Heu ! Heu ! veré Mortales miseri ! veré ignorantes ! Tenentur in Cœlum tendere, immò & desiderant (quis enim tam excors, & alogus reperiretur, qui excludi à Cœlestibus desideraret?) Tenentur, desiderant in Cœlum ire. Carpunt quod iter? quod præceps corruit in infernum, Pygmea veritatis cognitio ! leviter Gygas ignorantia! Herculè quærere Gloriam supercœlestem in delitiis, est Aurum ex Arboribus multum decerpere, Pisces in Sylvis, in vndisque versari animantes. Rides quod dicam ? illachrymor ego quod facias. Qualis ad cœlum properas, qui viam ignoras, & vltrò inviis concederis, & hîc illic oberras? Viam, quæ te ducat in cœlum primùm disce: immò unam disce. Extra hanc nulla scientia, nullus splendor, Mentis claritas nulla. In hac cœcutit nemo; insipientiæ nullus, nullus amentiæ locus. Si hanc didiceris, sapiens es: Insipiens, si ignoraueris: Ludus veræ scientiæ aperitur: inclina aurem docendus, vt vicissim tua humilitas doceat doctūrum.

DISTICHON.

Accidat vt tibi (Macte) mori benè, viuere disce;
Vt bene contingat viuere, disce mori.

ACRO-

ACROASIS I.

Ludum aperit Sapientia vera: Scientias Mundanas demonstrat esse somnia, atque Artes Nænias: extra Deum non iri repertum Veritatem.

Scientia abscondita inutilis. Sapientiæ finis veritas. Rara hæc. Homo scit nihil, & hoc ipsum ignorat. In Ageometricis Demonstratio nulla. Stagirita jnterpres est, qui & jnterprete indigeat. Philosophia Chimæra. Character veteris Sophistæ.

SVperfluo Librorum apparatu profiteris hanc, illam facultatem! Desudat labor, vt sapiens appareas vniuersis. Horatium adis; audis.

Scire tuum nihil est, nisi scire tuum sciat alter.

Ideò Platonicum colorem ebibis, vt diuinus ab Academicis quisque colaris. Sapientia illa jllustrior, quæ novas inuenit veritates; inuentas edisserit, expenditque. Volo ambitioni Sophicæ servire. Principiumque vnum admirationi tuæ seu pendere, seu tributare. Principium dico, non quòd per te, sed quoniam per se notum. Polliceor, quod mihi evidentissimum: eò faciendum pluris, quò tibi utilius sit, atque videatur rarius. Veritatem, quâ ditor, ne dilapidem, vendo, non dono: præpara empturus pretium: quale? vnicam, sed summam attentionem.

Inter Principia Mathematica, quorum singula habuérunt Démonstrationem Matrem, Patrem Analogismum, nullum certius, nullum clarius, nequod notius est illo, quod asserat *te jnsipien-*

tem eſſe,Rara Veritas ! ſed Veritas. Audiſtin' uſpiam? Nec demirer,nec dubito,ſi obſtupeſcat tam novam conſiderans & raram. Non admirabor,ſi non calleas;non mirari non potero, ſi illam dediſcas.Inſipiens es; & ſi nedùm hoc noueris, Inſipientiſſimus.

Si mihi non credideris,fac periculum,antequam ipſi fias. Temetipſum examina,& tibi uni credito,prætereà nemini.Es ignorans,an non?Intētum habeo,ſi aſſentiaris;habeo ſi neges;non inhibeo ſi dubites,Acquieſcis?ergo & tibi tua inſipientia eſt cognita; hoc unicè deſiderabam.Negas? Quomodo ergo alia extra te potes comprehendere,qui nedum hoc percalles?Qui poteris noctu Lynx eſſe,qui cœcutis meridie mero?Iam audio·Nō affirmas, non negas,ſed dubitas ambiguus mente. An non comes Ignorantiæ,vel proles dubitatio? Ergo qualiſcumque tua mens idolo decoretur,Inſipientiam prædicas,ſi eſſe Inſipientem ſcias; Ignorantiam, ſi neſcias.

Tuæ nequeo non condolere Adoleſcentiæ. Heu conſumptam,non quà conſumptam,ſed quà malè! Terebar ſtudia inutiliora næniis;hæ etenim delectant ſaltèm, verùm torquebant illa.Terebat equidem, ſed terebatur:nec ubi tuam juvenis perfeciſti vitam;nec,cui ſtudebas,facultatem,ſatius judicans alterutra maneret imperſectior.

Cur non rideam,qui video te aſſiſtentiâ peruigili extra Cancellos Geometriæ promittere Demonſtrationes? annon & egenis es ſimilis,qui montes aureos; Chymicis, qui aurea Speridum poma,non ſolùm cum diſcrimine,ſed & cum crimine vario pollicentur?Vbi illæ?quando vel vnam videris?quis nomine, à quo exceperis aliquam?Demonſtratio in Ageometricis quibuſvis Facul-

culta-

cultatibus, est vox significatus expers; titulus sine re, atque relatio sine termino.

Fatigabant te Logica; torquebant Dialectica; si eo molesta, quò & jnutilia; profectò molestissima. Studuisti Libris de Interpretatione? annon pudet? qui aliorum interpres esse poterit, qui te nuspiàm est allocutus sine interprete? quî aliis lux laconicè obscurissimus? Qui luce in diget, quî poterit illuminare?

Nauasti operam Philosophiæ. Vocas hanc Naturalem! annon meliùs Chymæticam? Cur non dices Phantasticam, quæ non Mentem noverit, sed solummodò Phantasiam Matrem, Aviam Admirationem; cohabitat Materteræ Opinioni, Sophismati, subservit Patri.

Carpit Sophos hujusmodi, nescio quis; ideat obliqua capita, solo præfixos oculos. Frequentia soliloquia, silentia irrationalia, somniorum contemplationem barbaram; Ah! colorem mutant, jeiunia indicunt, humores temerant, vt malè percalleant quattuor nugas.

Irridet Persius. Verùm irrideo Persio. Eccur concinnitas illa verborum, quam consultò pertranseo? Non egemus prolixo Pieridum influxu, ut irrideamus; queis simplicitas Naturæ irridet.

ACROASIS II.

Hypocritæ verè illi omnes, qui vocantur Sapientes.

Hypocrisis, Proprietas in quarto modo. Ipsius species, Ethica, Politica, Sophica, & Militaris, Penultima omnium pessima. Hypocrita candidus Cygnus. Actiones simul bonæ, & malæ. Omnes Lector es Candidi, seu Candidati

didati;cur alios laudent? Adulatorum conjuratio. Amicus Hypocrita. Solamen Chimœricum. Oceanus Mundus, Corpus Navis, Navarchus Animus, Amici Connavarchi.

HYpocrisis in mundo plurima. Transcendit hæc Malitia Essentiam Viventis Rationalis: Proprietas est, verùm in quarto modo; omnibus competit, vbique, & semper. Hypocritas reperias Ecclesiasticos, qui larvâ virtutis dilucidant occulta vitia: induunt scelestos habitus, Cœlestes superinduunt: ipsis sunt culpæ tunicæ, extrinseca mortificatio chlamys. Sic maculas candore palliant, atque nativas sordes splendore artificiali tegunt.

Nec desunt Hypocritæ Politici. Ille movet in penuario strepitum, iste convivia parat, quæ nusquam exhibet; & qui quattuor habeat, & expendere quinque non possit; industriâ abusus, videri desiderat potiùs prodigus, quam liberalis. Aulam ingreditur, qui Principi nec facie notus. Huic favores promittit, alteri interventum, adsistentiam non nemini: manu libellos versat supplices, quos calamo descripsit proprio, qui non potuit alieno. Egreditur insalutato Archimandritâ, & aseverat candidatis summas in eorum negotiis fecisse diligentias, ut habeatur, qui posset, si non qui faceret.

Larva est quæcumque Hypocrisis, Cygnus candidus, cui interiora sunt nigra. Non solùm est candida, sed candidans. Eccur? *Ovid.* 11. *Met.*

Nam facere assuèrat patriæ non degener Artis.
Candida de nigris, & de candentib us atra.

Vt igitur arduum iter Virtutis facias, admonet Iuvenalis in Satyrà.

tyrâ 3. sed opus est fuges Parasitos, atque relinquas Hypocrisin assentatorum. Progredere, & maneant, qui nigrum in candida vertunt. Verùm quamlibet laruæ sint plurimæ candidatæ Hypocriseos, & maculas intrinsecùs varias candidantes, nulla in meâ sententiâ perniciosior, quam illa, quæ Rhetoricis varia pigmentis, colorat ignorantias. Politicus aliquas expensas debet facere, ut credatur magnificus; aliqua dare, ut habeatur seu prodigus, seu liberalis: nonnulla habere, ut possit ementiri divitias, & ut potens splendescere in terrâ. Marti hoc sæculo nupsit Hypocrisis; nequit attamen vere esse arrogans, qui fuerit pusillanimis: nec temerarius audiet, qui non audeat. Qui ambitioni serviens studet Modestiæ, & Temperantiæ; saltim has virtutes consequitur, quas inficiat, & maculet. Moderatio etenim propter inordinatum desiderium est simul bona, & mala: Laudabilis quà Temperantia est; quà inordinatio, digna perenni vituperio. Hyprocrisis ea tamen, quæ ignorantias colorat, & nictat mentis maculas, sapientiæ nihil obtinet, nîl laude dignum, nihil commendatione. Dives hypocrita non est omninò pauper; Ethicus fallax non deordinabit morales dotes, ni præhabeat: non aget Herculem, qui careat viribus. Agit sapientem tamen, qui scientiæ expers, est solùm dives ignorantiis.

Aut dicito, si utaris ratione feliciori, & tuam velis Scientiam, quam tanti facis, reducere ad stateram fidelissimam; quid Sapientiæ invenies, præter inanem præsumptionem? sed & hæc tuam etiam ineptiam demonstrabit. Tibi adulantur Scriptores, qui CANDIDVS gaudes audiri. Dicata tibi credis, quæque reperis, LECTORI CANDIDO. Cur talis? An quia Scientia-

rum Candidatus? hoc est, verè Philosophus, qui non studeas Scientiis, sed scientias: qui anheles ad illas, quibus careas, quibus te destitutum, & nondùm ornatum confitearis. Annon tabulæ verè sunt Candidæ, quæ nihil exceperunt? annon doctore Stagiritâ Anima Indocti tabellæ est similis, in quâ nihil describitur? Exue igitur Candorem hunc, quem tanti feceris; Candidus es, quoniam Insipiens; si nec is, verè nec ille videreris. Qui *Albam Mentem* prætexeras, scias eos *Albas Mentes* solùm dici, qui ridiculis subscribere solent sententiis. (*Vide Lips. libro elect.* 1. *c.* 3. *in limine.*)

Aut fallor, aut Homines, quibus de aliis rebus sunt sententiæ, quot capita; de Sapientiâ acturi conjuravêre in eadem verba. Alter alterum Sapientem vocat, ut & Sapiens audiat, ut audiatur: Si etenim Insipientem diceret, nec audiretur. Adulatur alteruter, non tamen gratis; laudat enim laudandus, celebraturum celebrat, laude prosequitur, sed se commendaturum. Clamant Athenæ Conjurationem in Sapientiam, condemnantur Actrices, quia Iudices sunt ipsi Homines, qui conjurarunt.

Sanè Ignorantia mea, quæ in aliis controversiis maxima, hîc semetipsâ major, obruitur tenebris difficultatum. Convenis, an Amicum circumuenis? Non convenis, quin circumvenias; non circumvenies, quin & prodas; nec prodes, quin Amicitiam convérteris in simulationem. O Amice Hypocrita! Tuos, cum maximè proséqueris Sapientiæ titulis, impéritas? non: quid Herculè? imperîtas. Impunè? minimè. Agens in agendo repateris, Imperitiam tuam, vel adauges, vel publicas, cum navas operam, ut alij imperîtentur.

Iam

Iam video, nec mirum non vidiſſe antea, cum tuis nec mihi poſſit eſſe ſpiritus-naturalis Lucifer, nec ille meus, qui ſeptus tenebris vix unam veritatem videt. Te Amicus ſapientem celebrat charitatis gratiâ; ſolatur, ne Inſipientiæ Oceanis immenſis obrutus, ipſe deſpéres. Qualis hæc Charitas,cujus gratiâ ſimilia? Sanè nec Charitas eſt ipſa Gratiæ, nec Gratia Charitatis. Eſto,indigeas ſolamine. Veniat amicè-familiaris, qui faveat: verùm diſcat, atque dediſcat modum: quem? aptum, malum.

Agitatur inconcinnis Oceani fluctibus Pinus credulè-temeraria: Æolides in eam ſoluti, (diſſoluti ſi mávelis) agmine diſperſo conjurarunt. Rudentes crepitant, malus dividitur, mala imminent, Carybdis adtrahit, Cælum ſe negat, unda conceditur, & quæ carinam obſidebat, inſultum ab omni parte faciens inſidet copioſa reſilienti. Sis, sîs, Navarchus ipſe. Accedat ille tuus, obliget oculos, obturet aures, ne diſcrimina videas, neve fragôrem audias,ſubque ſpecie ſolaminis perſuadeat tibi nullum eſſe periculum. Gratulareris ipſi? minimè:Non daret tibi vitam, qui vittam, ſed inſtantias naufragii acceleraret. Iudicares optatius,donari potiùs centum oculis, ut Argos potuiſſes lintrem periclitantem regere,quam monoculus ſentire Vlyſſen. Non hæc amplifico; dico enim, ut aſſenſum præbeas, cumque aſſentiaris; DIXI.

Applico attamen, ne inconcinnitas hæc appareat diſſoluta. Annon Mundus Occeanus?Navis eſt Anima, quæ in diſcrimine ſummo agitatur. Impetitur à vanæ gloriæ ventis, appetitur à Caribdi Stygiâ, obſidetur ab inconſtantiæ fluctibus, cui dum Cœlum negatur, nihil boni conceditur. Indiges ſummâ induſtriâ

labo-

laboribus his exantlandis. Vix sufficerent Animo centeni Oculi, & vix millenæ Intelligentiæ. Parca Natura concessit unum, unam videlicet Mentem, Spiritum. Qui hunc tibi excœcet Oculum, Vlysses erit, non Achates. Ne solatium id nomines, quod ego Adulationem, atque cæteri Hypocrisin. Non tibi Navarcho amicus ille, qui oculos claudit, atque procellas intermittit; sed unus ille, qui has sedat, atque illos aperit, ut futuris provideas. Qui te Sapientem dicit, fallitur, fallit. Qui Sapiens diceris, obsideris ab Ignorantiæ fluctibus, & non sentis; obrueris, & non credis, priusque naufragium pateris, quam cognoveris esse in discrimine. Qui te Insipientem, atque Fatuum expendo, Fato dono meliori; procellam sedo. Me duce prostat veritas; absunt & Ignorantiæ vires perstante veritate. Te instructiorem reddo, ut conversus totus in oculos, instantiis provideas universis; ut semper præoccupes, minimè præoccuperis.

Domine adauge Fidem nostram, dicebat quispiam, de Supernaturali: ego de Naturali: *Domine fidem nostram diminue.* Adulatori ácquiescis? O scientiam, Fidem simultaneam, atque contradictoriam! ea fecisse, atque obtinere credis, quæ scis nuspiàm fecisse, obtinuisse nullatenùs! Audis se commendantem: quid? assentiris? Summa credulitas! Fortè nec credis gratis. pretium? nempè ut cum similia de te effutias, vicissim ab altero credaris. Illum vocas Oraculi testimonio doctissimum; ut rependat honorem, & te vocet Oraculum; erat enim doctissimus unico testimonio: hoc autem tuum. Ideò Sapientia utriusque in Fide, atque Facilitate Humanâ nititur, ac perindè debili innixa fundamento. Quid si nec gloriosè-vanus in propriâ, nec in alienâ laude Adulator, & sub-

ſubornatus Fidem faciant? ſublato Fidei fragili Humanæ fundamento, corruet Sapientiæ opinio: quare? quia innixa nulli.

ACROASIS III.

Omnium tam veterum, quam Recentiorum opinione, fuerunt, ſunt, erunt, omnes Profeſſores Humanæ Doctrinæ inſipientiſsimi.

Socrates omnium Mortalium doctiſſimus ex teſtimonio Oraculi, ex ſuo ſciebat nihil. Invenit nomen Philoſophi; cur? Ideæ Platonis ab Stagiritâ condemnantur: hujus doctrina ab Academicis. Scholaſticorum diſſentiones perſonant Humanam ignorantiam. Sapiens, quis? Sapientia, quid?

RAtiones hæ, meâ ſententiâ fortiſſimæ, fortè eò in tuâ debiles, quò minùs gratæ. Si authoritatem iis præponas, nec hæc deficiet, ut illas roboremus. Qui voco veteres, Modernos, Inſipientes; nuſquam ſine Magiſtro manuducente me tam rigidam ſententiam fero. Ab ipſis, quos ſapientes vocas, didici quales eſſent, & quâ venirent nomenclaturâ indigitandi. Socrates Oraculi ſententiâ ſapientiſſimus (cur non Ariſtophani qui & aliis credis?) à Græcis honore ſummo colebatur, quod inter ſtolidos Stoicos, qui nullam, ipſe unicam aſſequutus fuiſſet veritatem: videlicet? ſe nihil ſcire. In hoc ultimo conveniebat univocè cum coætaneis, in primo diſſidebat, quia cum reliqui tumeſcerent ſapientiâ adulterinâ, ipſe ut plus quam alii ſciret, ſuæ ſe certiorem fecit ignorantiæ. Immò (& hoc te Iudice erit rariùs) neque ſciebat Socrates ſe nihil ſcire: ratio? quia ſi hoc, jam non ſciret

nihil,ſed aliquid. Acutè eum perſtringit Lucretius *l.4. de nat.rer.*

Denique nîl ſciri ſi quis putat,id quoque neſcit.
An ſciri poſſet, quo nîl ſe ſcire fatetur.

Magni facis nomen Philoſophi? Sapientiſſimus eſt, qui nec hoc calles. Annon φιλοσοφὸς dicitur quaſi φιλος·σοφιας; hoc eſt: Sapientiâ dives?minimè:ſed hanc deſiderans.Inſignite igitur Philoſophi perluſtri nomine, docearis te carere Sapientiâ, ſiquidem ibi hanc deſiderant, ubi deſideratur. Vt Divino aſſimileris,Platonizas?teſte Ariſtotele Chimæras potiùs, quam Ideas excogitavit Plato. Vocabatur Divinus, quaſi Dius-vanus, ſeminavit etenim in Academiâ Gentilitiè Divinam vanitatem. Plato irridebat Ariſtoteli,& Xenocrates impugnavit. Si acquieſcis recentioribus,Petrus à Ramis.Tilerius Bernardinus Homerum,Platonem veterem:Platonem,Homerum moderniorem nominant; ſanè utrumque Divinum: Ariſtotelem colunt veræ ſapientiæ originem.Scaliger,atque poſt eum ingenio ſimul,atque proſapiâ nobiliſſimus Tycho Brahæus,hunc,illos,inſipientes,ineptos, ſtolidos,immò nec ſemel ebrios nominarunt;ſed nec impunè, ſubjacent enim cenſuræ ſeveriori.Stoici contra Epicureos, hi contra Academicos, utrique contraPeripateticos,iſti adverſus alterutros cum bella movent litteraria,quid agunt aliud,quam inſipientiâ, immò & inſufficientiam Humani ingenii demonſtrare?Omnes Philoſophorum ſectę putant,ſe unicè inveniſſe latentem Veritatem,cæteras in tenebris confuſas eſſe.Non poſſum non credere ſecundum,qui primum non credo.Se laudanti quî aſſentiar? qui non cenſoribus,quos nominaſti ſapientiſſimos? Ergo omnium ſuffragiis (quæ ſuffragatori favent ſunt iure utroque nulla) ſunt inſi-

insipientes universi. Cur igitur eos tu vis tales depingere, quales ipsi communi calculo confitentur non esse? Cur ipsis sapientiam Comitem edisseris, quam, vel ipsis testibus, nedùm à longè salutarunt. Sint igitur mendaces, aut veridici: si primi, cur sequeris ipsorum dogmata? si secundi, cur non acquiêscis dicentibus se insipientes esse? si acquiescas semel, cur non te fatearis Imperitum, qui in ipsorum imitatione tot, & tantos labores exantlasti? Qui ipsis es similis, es Insipientium ectypon: qui dissimilis, non es Philosophus, ac perindè nec sapiens.

Sapientem reddidit Socratem unica insipientiæ confessio; eris sapiens, saltim in hoc, si tuam inscitiam confitearis. Veré te esse imperitum non confiteri poteris, nequis non esse: poteris non cognoscere propriam inscitiam, non poteris hanc non habere. Si modestè es ingenuus, cur non ubique asseras te nihil scire? Vbique, dixero: quia profiteri insipientiam, apud non credituros, non Humilitatis est sinceritas, sed larva Hypocrisis. Humilis vis haberi, non verax, atque ideò cum maximè te abijcis superbus es; verissima cum dicis, mendax.

Nos miseros! Vniuersa sapientia, quædam præsumptio est, mentis fallacia, atque idearum artificiosa deordinatio. Celebrant insipientes unici. O tempora! quales sunt omnes, hanc siquidem encomiis concelebrarunt uniuersi?

ACROASIS IV.

Magister verus mors.

Ante mortem conceditur sapientia Nemini. Mors docta: Immo & doctrix Mors multiplex. Mors unica sapientiam declamantem audiit.

 Petis

PEtis Athenas, auditurus septem sapientes redivivos, acroasin facientes Metaphysicam. Subrideo. Acroasis prima Veritatis, est acroasis primæ Veritatis. Hanc faciet Sapientia, non Philosophi: verùm non ante mortem. Nihil superstès didicisti, qui devivens incipies primæ Lectionis interesse. Animus cum exuit Corpus, tunc exuit Sapientiæ impedimenta, dispositiones Ignorantiæ; ideò redditur veræ doctrinæ capax, qui nondum fuerat. Eliminatis insipientiæ tenebris est compos Luminis; vel potiùs hoc perfusa fit expers tenebrarum.

Capita candida sunt Homero *Calvariæ*. Quid mea? Proderit intellecturo Plautum.

Sapere istâ ætate proderit quis capite candido.

Hoc est, cum consumptis post Mortem carnibus liber Animus Cœlos obtineat, sarcophaget & Tellus ossa. Plus hæc unica Mortales docet, quam innumeri, hique doctissimi Magistri, & Præceptores. Vltimus ille anhelitus manifestat, quæ superstites vix benè credimus. Nempe, esse Corpus pulverem, inque pulverem iri conversum. Cautum esse reor Divinâ Providentiâ, ne Mortui superstites inde revisant, ne fortè eos certiores faciant nullam Sapientiæ veræ acroasin, diatriben ante Mortem nullam. Si hoc semel crederes (Philosophe, hoc est Amans sapientiam) non Libros quæreres, sed quà liceret, Parcam. Naturalem appetere non licet, expedit subjacere Politicæ, Ethicæ. ac Supernaturali.

Tunc Politicè moreris, cum vanè-gloriosas Mundi contemnens Dignitates, uni Deo, uni tibi agis vitam, Non solùm vitam, sed & agis Animam, cùm istam perficis, & peragis. Politicè sane devixerat, quem audis. *Vivo ego, non iam ego, sed in me Christus.*

Ethi-

Ethica Politicam Mortem assequitur, hæc occidit vitia industriâ, ingenio Naturali, cum quispiam à peccatis cessans confugit in meliorem frugem.

Hanc Supernaturalis perficit, quæ insequitur peccata fugitiva, & destruit, ne rediviva insurgant.

Datur etiam, quæ liceat, quæ & expediat, species Mortis naturalis. Mortificationem Contemplativi nominant, quæ licet non occidat substantiam Corporis, plectit passiones universas. Sapiens eris, si has quatuor habeas Præceptrices.

Nondùm invenerant Sapientiam Homines, sed præcone circumclamante quæsitabant. Consulitur profunda Abyssus, atque respondet non vidisse: nec aliter quærenti Mare. Consulta Mors asserit se verè audiisse vocem ejus. Declamat Sapientia. Vox ipsius auditur, non tamen extra Gymnasia *Mortis*. In Politicæ Lyceiis docet: quid? splendorem Mundanum esse tenebras, atque Fortunas Vanitatem. In Aulâ Ethicæ Acroasin secundam facit. Dedocet morales ignorantias, instruit voluntatem, atque Mentem illuminat, ut hæc nîl extra Virtutem quærat verum, nîl bonum illa desideret extra Virtutem. In Supernaturalis Mortis Academiâ Diatriben instituit Prima Sapientia tertiam, doctura Homines non debere venari mendacia, qui sunt capaces Dei, & perinde Veritatis Primariæ. In Scholis Mortificationis, Acroasin agit Militarem, erigit aggeres, describit fortalitia, prævenit munitiones, ut se possit ab Hoste circumcingente defensare.

Elicis. Ergo otium præponi studio debet: operæ ignavia. Ergo nullus Liber legendus, nullus habendus Pædagogus. Eo inficias, admissurus, nec consequens, nec consequentiam. Iam tibi propo-

ſui ſemper audiendam Præceptricem; jam limina terenda Athenarum; jam Gymnaſia utilis, ac veræ doctrinæ; in quibus non virtutum theorias, ſed praxin edocearis: in quorum primo NESCIRI diſcas; in ſecundo VITIA PERSEQUI, & hanc in quarto contra Hoſtium inſultus propugnare. Eris Politicæ rei ſapientiſſimus, ſi mundi contemnas, quas ipſe vocat Dignitates, Ethicæ Magiſter eximius ſi virtutem unam Animo maritaveris. Ad Theologiæ culmen adſcendes quando inveneris Tranſnaturalem Gratiam. Naturæ arcana percallebis, cum ſufficias ſecretos cuniculos paſſionum obturare. Hæ ſunt ſcientiæ, quæ expediunt; reliquæ, ſiquæ ſunt, licent: fortè nec ſemper.

ACROASIS V.

De ſeptem Liberalibus, quas vocant Artes.

Liberalium ſcientiarum Numerus. Ordo. Objecta, utilitaſque declarantur.

ARtes Liberales ſeptem ſunt, & tales audiunt, quia Principibus, & Magnatibus dignæ. Si nondum Nomina, atque officia cognoueris, inſtruat Heptaſticon.

Γραμματικὴ *loquitur. (Dialectica diſſerit.) atque*
Perficit eloquium Ρήτωρ, *& verba colorat.*
(Muſica, quæ Muſis nomen dedit, accinit; aurem
Delectat.) Numerum Latius. quem Græcus Ἀριθμὸν
Dixerit; indè Arti numerandi nobile nomen.

Vaſta

(Vasta γεωμέτρης *mensurat corpora.) Cœlos*
Circinat Astronomus, leges fertque Arbiter Astris.

Hæ sunt Facultates per quas multi quæsierunt, non rari repererunt immortalitatem. Hoc moverat Olor exul in Ponto, dixit.

Artibus ingenuis quæsita est gloria multis.

Hoc tu etiam cognoscis & mirabundus contra me inveheris, qui Artes has vocâram Vanitatem: illæ herclè omnes, atque illarum quælibet sunt Vanitas Vanitatum, namque omnia Vanitas.

Iuvat singulatim de his Artibus quidpiam disquirere, ut percalleas, illas vanis conceptibus exuberare, ut tandèm scias in nullâ veram Sapientiam reperiri.

ACROASIS VI.

De prima Liberalium Arte, quæ vocatur, Grammatica.

Superbia Hominis Abecedarii. Lingua duplex: Cor duplex. Synonima vix aliquot. Pantoglottus, an sapiens? Sapientiæ locus. Veritas, quid?

INter Animalia (ait Laurentius Valla, exquè illo plurimi) Grammatico superbius reperitur nullum: Grammaticus es, quid mirum superbescas? Nihil in terræ meditullio Abyssus inserit, nihil inter volucres luces Cœlum continet, quod, te judice, medullitùs ipse non calleas, cum certum sit Maternæ tuæ Linguæ te majori ex parte esse imperitum.

Obedis Nasoni indicenti (*l. 2. de Arte.*)

Nec

Nec leuis ingenuas pectus coluisse per Artes.
Cura sit, & Linguas edidicisse duas.

Fortè duplex esse linguâ nunc placet, cui placuerit esse duplicem corde. Memoria labilis, judicium debile, voluntas facilis in causâ sunt, ut tuæ natalis soli idioma ignores; quî acquirere sufficies peregrina? Vel dicito: quis in re Grammaticâ eo felix, ut vel unius dialecti omnes noverit voces? quis vocum suppositiones universas? Annon in eâdem Linguâ nominibus Navarchi utuntur quæ non calleat Politicus? annon & Aulici, quæ ignoret Scholasticus? Quælibet Ars Mœchanica, vel Liberalis sicut diversis mediis indiget, sic & terminos diversos aptat.

Tractas de Synonimiâ. An ulla? *Studium*, & *Scholam* æquipollentia credis. Cum ergo Salmanticenses rident, cum à Neotericis audiunt suas Athenas *Studia* nominari? cur malunt cum Latini sint, dispendio prodigo contemnere vocem Latinam, & Græcam mendicare? Non est idem *Schola*, ac *Studium*! discrimen? nescis tu, docent illi. Ergo similitèr reperies plures voces, quarum usum ac proprietatem ignores in ipsâmet Linguâ Maternâ. Si hanc annosâ, atque longævâ consuetudine nondùm es assequutus, cur credam te esse exercitatissimum in Hebræâ, Chaldaicâ, Græcâ, aut reliquis? Quî clarè cognosces Linguarum multum Babylonismum, qui in clarissimis Babylonizas rebus? sanè sub verbo tuo es Sapiens: & illa omnia internoscis, quæ Vrbanitas comice-credula concedit gratis.

Esto attamen & Maternam percalleas, & fueris Pantoglottus: reperias in nullo Idiomate difficultatem. An sapiens ideò? Qui Latinè fuerant imperiti, nec erunt Hebraicè sapientes. Pueri legunt

gunt Philoſophi Maternâ diſputantes Linguâ, nec ideò intelligunt, quia non ſufficit nuda vocum cognitio, ſed requiritur, & acumen interius, exterior & exercitatio. Symbolum perlegunt, nec eos Theologos dixeris, licet voces intelligant, quia non per cauſas. Omnium igitur notitia Idiomatum non ſufficiet, ut vel unam veritatem calleas.

Quid ſi Mentem omnium Veterum aſſequereris? Gloriâ eſſes digniſſimus. Sapientum Idéas. Ægyptii, Cræci, Arabicique Idiomatis tenebris ſepultas expoſueris? Minimè: quia ſi omnia illa intelligeres, quæ Ægyptii Sacerdotes, Gallorum Druydes, Indorum Brachmanni, Siñarum Boncii, atque Æolidum Sophi, intelligeres nihil: cauſa? quoniam nec ipſi quidpiam. Quî te docere poterunt, qui nuſquam didicerunt, cum non habuiſſent, qui illos docerent Veritatem? Quæ dillucidabunt hi tibi, qui ſibi nuſpiàm potuerunt lucem dare? Fortè meliùs ſuſpicabantur, quam tu; fortaſſis, minùs-ineptè dubitabant: ac proindè, forsân minùs à veritate deviarunt, ſed deviarunt. Sapientia vera illis non fuit conceſſa, quoniam hæc inſidet Veritati, & Veritas eſt ipſe Deus: ideò extra hunc dubitabant, & ſuſpicabantur univerſi, nequis illam attingit. Aptè Lucretius *l. 4. de nat. rerum.*

Nam nihil egregius, quam res eſt cernere apertas
Ab dubiis animus quas abs te protinùs abdit.

Ergo ſi veritas aperta dubiis, in Deo uno cernitur, prætereà nullibi: nihil erit egregius, quam in Deo uno unam ſpeculari veritatem.

ACROASIS VII.

Rhetoricam inutilem Vanitatem esse.

Loquendi Acroases quibuslibet Athenis plurimæ: tacendi nullæ. Homo quid? Creduli qui? Sapientium Insipientia quanta.

QVot homines occupat, consumit, hæc illa Academia, ut docearis Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, Dialecticam! Scopus istarum Facultatum? ut loqui scias. An non utilius, docereris ut taceas? Vnum habuit mundus Pythagoram Silentii Præceptorem; deuixit; vacat cathedra, nec est, nec erit olim Pythagoricus, qui se reponat. Miror! Si tot instituuntur Linguæ regendæ Acroases, cur non & aliquot Vitæ regendæ? An est vocum, & verborum, quam Morum Institutio utilior? Tota Mortalium cura in Verbis est: immò & nos nîl sumus præter inania verba. Docuere Præceptores, quæ ipsi ignorabant: didicêre Discipuli, quæ & expediret dedidicisse. Captivi alienâ authoritate nihil asserimus sine Veteris cujuspiam testimonio. Subscribimus Latinis, Græcis, Credimus, quia dixerunt, nec rationem inquirimus, nec causas rei investigamus: ideò eâdem proprietate, qua *Sophi* veteres: *Creduli* vocamur Moderniores. Immò nec ipsi antiqui, alii quam *Creduli*; utpotè qui crediderunt etiam Antiquioribus.

A multis annis Orbi concessus Naso, & cum eo non pauci, qui litteras, voce, & calamo nobilitarunt. Sapientes ne? nullatenùs, Igi-

Igitur quales? *Creduli*. Quod si mihi nolueris esse credulus, cur non Ovidio? Ipse (an non de se?) Fastorum quarto.

Sed nos in vitium Credula *turba sumus*. Adhùc morari juvat ut medullitùs ista percalleas. *In vitium* dixit: quia nos ista Credulitas Ignorantiæ multis vitiis illaqueat; cumque temeraria ipsa sit, ornat virtute nullà.

O tempora! non solùm contra nostra invehor, cui nec antiqua parcunt: Longo comperio examine sæcula esse ejusdem coloris universa. Nec credidero Veteres, sive Doctiores, sive Præsentibus Meliores fuisse, & ideò illachrymor illorum Audaciam imperitam, istorum Imperitiam audacem. Qui debuerunt, qui debent, suni & soli Demonstrationi in Philosophicis Controversiis subscribere, nîl possunt præter Humanam Fidem, & ideò fallacem demonstrare. Contenti aliorum diligentiâ propriam non curant: Auritos se testes eorum exhibent, in quibus Sophophili Veteres floruerunt. Quidquid, vel Aristoteles, vel indixerit Plato Studio prolixo propugnamus: an quia verum? nequaquàm. Sed quoniam dixerit. Cœterùm neque hoc eos dixisse semper scimus: sed plerique id audivimus, pauciores eorum Litteram examinauimus.

ACROASIS VIII.

Musicam vanum vocis splendorem, ac verbo fucum.

Musæ dictæ fortasse a Musicâ. Musica Sal. Vtilis quando? quandiu? Videnda,

non audienda:cur? Nullus Homo non Musicus Quæstiones aliquot difficiles. Trinum imperfectum. Pars toto major. Dupla inter se æqualia.

SImilis Rhetoricæ Musica, hęc nomen Musis largita est, an ideò tibi? Omnis Nominis celebritas est à virtute, hæc autem non est appendix Enarmonicæ. Cur non inducerem Epictetum. (*in Enchirid. ca. 66.*) *Propositiones hæ non cohærent. Ego sum te locupletior, ergo sum te melior: Ego sum te eloquentior, ergo sum te sanctior.* Ergò inductione simili, erit Consequentia Dialecticôs spuria: *Ego sum doctior in re enarmonicâ, ergo & in Virtutibus magis exercitatus.* Non studium Musices stoicum indigitat rigorem, sed mollitiem dulciùs-Epicuræam.

Quam aptè qui Musas cognominavit sales. Sal ubique necessarius est, sed omnia corrumpit si excedat quantitate. Bonus est, sed detrimento sui fit melior, quia eò præstantior, quò fuerit quantitate minor. Esto sit bona Musica, efferos demulceat ipsa affectus, moderetur effręnes animos, temperet voluntatem: sed notaveris Castalias esse sales, & hujus rebus condendis non deberi grana multa, sed granum. Qui tristetur, psallat; qui friget, calefiat; æger utatur medicinis. Cæterùm si non est opus valentibus Medicus; nec æstuantibus, ignis: cur dissolutè-hilaribus Musica?

Sanè esset utilis, si tubo optico potiùs hanc specularêris, quam aure perciperes. Hanc olim in meo Parnasso contēplabar. Amandò. Hoc autem illis omnibus, quæ ibi disserui, efficaciùs addiderim: quid? Musicam profanè-politicam Principum esse lascivè-multam Vanitatem. O nos Miseros! omnes sumus perennè Musici. Mortalium nemo, qui vitâ, moribus hanc non exerceat Faculta-

cultatem. Quæ puncta magis Naturæ consonantia illis, quibus Decalogus describitur? Herculè nulla. Quis ergo Hominum cum obligationis punctum proponitur, non modulatur contra punctum? Lex Dei basis est rerum omnium, & Canonicâ Scripturâ teste, Sapientiæ veræ initium, non nisi timor, & iste Dei: quotiens ergo Mousophile cecineris tu Contra-basum? quotiens & operatur contra Basim, quam diximus Dei esse Legem.

Voces immediatæ sunt dissonæ: cur ergo ambis Archimandritæ locum proximum? fortassè ut ipsi dissones, vel ipse tibi. Vel diffide præceptis Enarmonicis, vel assere eò tuum Animum magis ac magis dissonare, quò Corpori sit immediatior. Disses est opus à te ipso. In te nîl quærere oportet, præter Deum: in Deo non quidpiam præter te. Fuge igitur dilecte; fuge, & Capreæ assimilare. Cur? quia hęc recipit spiritum per aures. Ideò nullam auribus percipias Musicen, ni hanc priùs donaveris spiritualitate.

Esto, sit utilis; addo, esto sit necessaria Facultas Enarmonica. Subintero. Ergo Magister Musicis utilibus, & necessariis cares: cur? quia Musicen, quam profiteris, non intelligis. Hæc est ex illis Facultatibus, in quibus non studio proficimus, sed quò magis studemus, penitiùs scimus nos illas miserè ignorare.

Superbescis, quod moduleris gratus populo? is stultus est, nec illi placere posses, ni stultesceres; similes etenim, vel facit, vel invenit Amor. Cęterùm cum magis artificiosè vox tua tripudiare instituerit, vocer obsecro, demonstraturus, illi per te licere quacumque ire, nec fuisse scientiam, quæ numeros sonorè difficiles moderaretur: cur? quoniam es cæcus auribus, & quod miserabiliùs multò est, quoniam es cæcus mente. Vel dicito, Quot mo-

dis dividi poteſt Diapaſon? an non in genere ſunt ſedecim, & ſub quolibet ceu innumerę ſpecies? Tu igitùr qui unum meré modum exerces, nec milleſimam es aſſequutus portionem Facultatis. Sed nec hanc particulam perfectè.

Si diſſentias, interrogo. Conſonantię ſunt gratæ auribus, amaræ diſſonantiæ: quare? experiris id ipſiſſimum, quod non intelligis. Prætereà: cur voces immediatæ diſſonant, cum conſonantia quædam ſimilitudo ſit, & immediatis ſimiliores ſint nullæ? Si docet Arithmetica omne Trinum perfectum, unde & Maroni.

——————*Numero Deus impare gaudet.*

Cur Tritonium inter diſſonantias aſſeritur imperfectiſſima? Totum eſſe majorem parte doceor à Geometriâ, dedoceor ab Armonicâ: quare? quia pars in hac perpetuò eſt major toto. Tene Demonſtrationem. Idea Pethomæi Monochordum, cujus deſcriptionem in venero tum apud alios, nunc apud Salomonem de Caus, cujus nupèr legerim Armonicas Inſtitutiones. Perſonas vocem. AA nempe 86:40. diminue ſpiritum & ſubſona. Diapente D♭. 128.00. An non Diapente eſt pars Octavæ? aſſeris: Ergo & 18.00. eſt pars numeri 86. 40. Ergo & pars major toto: quod fuerat demonſtrandum.

Præterea. Perenni ſanctum eſt lege in Muſicis, omnes voces quę diſtant per Diapaſon æquales eſſe, undè nominis occaſio. *Æquiſonantes* nominantur. Ergo numeri dupli ſunt æquales, quia Diapaſon hanc induit proportionem. Ergo Arithmeticen, & Muſicen ſedulus compara. Hujus illa baſis, illius hæc ornamentum. Nihilo-ſeciùs contradictoriæ apparent: cur? Reſpondeo facilè. Quoniam hanc, illam, ignoramus. In ſe habent nullam, in conceptu noſtro multam contrarietatem.

ACROASIS IX.

Arithmeticam Ignorantiam esse.

Objectum Artis Dinnumerariæ. Divisio Arithmi in Rationalem, Irrationalemque Numeri 33. vel √. vel √√. qualis.

SOnorus Numerus erat Objectum Musices, in quâ naufragium passus in meliorem te frugem recipere jam decrevisti. Numerum exuis sonitu, ut nudus adjuvet, qui distruxit ornatus. Ad Arithmeticæ Gymnasia confugis. Te miserum! Insipiens demonstraberis. Desuda, vigila, age insomnes noctes, & Irus numera, quæ nondùm ditissimus conjunxit Crœsus, & cum sis Arte instructior me conveni. Petam, an numeros didiceris irrationales? Ipse affirma, vel non: Nescis Arithmeticam, qui hos non didiceris, nec rationalis dignus nomine, qui didiceris irrationalitatem.

Porrò hæc, quam vocas scientiam, corruit demptâ, vel superadditâ unitate. Scis eam radicitus? non credo. Hoc tamen scio te in Arithéticis duplici inscitiâ laborare, quia & nescis Arithmeticen, & hanc ipsissimam ignoras ignorantiam.

Iniquus sim Iudex, si temerarius: dicar temerè judicavisse, si in proponendis Quæstionibus, mihi, vel tibi satisfaceres. Idea numerum XXIII. verè mysticum! & veré sacrum! à Deo humanitus, dum ageret in Terris, delineatum! Revoca ad memoriam Euclidis, seu Archimedis regulas, & iis instructus exhibeas postulan-

lanti Radicem √ Cubicam, vel √ Quadram. Equidem exhibendis ipse non sufficis: sed si adhùc te his omnibus insufficientem nescis, insipientior es, quam cogitabam.

ACROASIS X.

Geometriam testimonium Insipientiæ Humanæ Validissimum.

Geometricæ Demonstrationes Hominum ostendunt ignorantiam. Controversia de Continui compositione Labyrinthus.

COnfugis ad Geometriam tanquam ad asylum? Cœcutiens ille, qui huic uni scientiæ neget Demonstrationes. An ideò spectas me tibi adulaturum esse? nec caput habeo, peccatorum oleo dilibutum; nec unquam quempiam hoc liquore suavissimè nocivo: si unctum aliàs conspexero, salutaris admonitionis Oceano lavabo.

An ingressus es Continui Labyrinthum? Optimè hanc quispiam Controversiam integro libro prosequutus *Labyrinthum* vocavit: in quâ cœco vestigia regimus, & forsàn sine filo. Qui potuimus non ingredi, non sufficimus egredi, non, inibi seu largiri, seu invenire lucem. Quid aliud est Circuli frustrà quæsita Quadratura, quam Insipientię Humanę Demonstratio? Doceat ergo: Quam proportionem habet (ut alia difficiliora omittam) Diameter cum Circulo, vel Tetragono? Quam contactus angulus cum recto? Quam cum Sphærâ Cubus? Ecquam Ellipsis cum Parallelogrammo? Linea cum superficie? Quam hæc cum Corpore?

Hoc

Hoc unum scio (utinam unà scias) nempe, in iis omnibus Humanam Mentem cœcutire, hasque Terminorum proportiones, inventas nusquam, olim nec inveniendas esse. Geometricæ igitur Demonstrationes, quibus tu tantam fidem, eò tendunt, ut evidenti analogismo ostendant, indoctum te, atque scientiarum imperitum.

ACROASIS XI.

Astronomiam Ignorantiam, Phrænesin Astrologiam esse.

Astronomi labores maximi, semper inutiles. Non intelligit Cœlos, ut sunt dispositi; verùm disponit, ut intelligat. Astrologia temeritas. Hæc mentitur, quantum illa metitur. Nullus divinus, si non bene moratus.

EXpensis summis optica instrumenta insidiaturus Cœlo præparabas. Licuit, non profuit; quod si obfuit, non licuit. Vt quid tam prolixus Indicum, atque Linearum apparatus? quis tibi curam commisit stellarum? quis te ipsarum periodis præfecit? Cuius authoritate Syderibus indicis loca, atque tempus diffinis? Præscribis tabulis Cœlestium Corporum itinera, ac si a tuâ pendêrent voluntate. Agis noctes pervigiles, ut Planetarum errores perscruteris, qui de propriis non curas. Desiste ab hac occupatione: nec gubernando Cœlo sufficis, nec auxiliis indiget Sapientia gubernatrix. Non es Hercules, nec si illum indueres, prodesses ætheri: torquet illa, quæ & Atlante validior, omnia sine labore condidit, ac propterea non eget sublevamine. Cœli, ut Dei Glorias enarrent, diù, noctù fatigent illas volucres luces; stet per

te,obediant Legi æternæ,cui nequeunt non ſubſiſtere. Diſce ex temporis longo diſpendio:experto credito. Cum Circulos ſomniamus Aſtronomi,addimus Epicyclos, delineamus Eccentricos,Æquantes fingimus,circinamus Apogæa:facimus? quid? diſponimus Cœlos,ut intelligamus:nuſpiam,ut ſunt diſpoſiti,intelligimus.Metra Cœleſtia inveſtiganti,Metrum proderit verè Cœleſte.Exhibebis Boëtius.

O Fælix Hominum genus,
Si veſtros Animos Amor,
Quo Cœlum regitur,regat!

Vtinam hunc,illos regat unus Felix eris ſi Amor te Æthereus gubernârit; infelix eſſet Cœlum,ſi id tuus. Ergo qui convertere Cœlos non potes,ut ſis felix ab illorum Intelligentiâ,Amore,ſpirituque dirigaris,ſicque reddêris non Aſtrologus,ſed potiùs Aſtrum radiis perlucidum tranſnaturalibus.

Ex Aſtronomiâ ad Aſtrologiam tranſitus jmmediatus in omnium opinione:unde?quo?Ex ignorantiâ ad phrænesin. An non à mente alienus,cum præſumis habere præſcientiam futurorum, qui nec præſentia potes intueri ſine lapſu,ac errore? An tu velocior tempore?Nonne ſumma ſtultitia, velle ad futurum pervenire,ante quam id perveniat?Obviam is Cœlorum decretis? ecquibus obſecro? non poſſum non ridere. Nec Cœli rerum præſunt viciſſitudini;nec ſi præeſſent, te conſulerent Mundum gubernaturi. Metiris Aſtronomus,ſed nunc Aſtrologus ipſe mentiris.Garris,quæ neſcis;ſed nec ideò ſequitur Sydera,quæ neſciant, locutura. Eſto complexioni imperitent;cur permittis & mentem contemplatio illorum imperitet?Fortè humores rationi, & Appetitum

petitum præponis Voluntati. Vel doceatur Claudianus *de raptu Prof. lib.* 3. & instruar ego. Vos interpello Astronomos, vos ego Astrologos; Quid Altimetris profuit leges dare Syderibus, & Animum habere exlegem?

Quid mentem traxisse Polo? quid profuit altum
Erexisse caput, pecudum si more pererrant
Avia?

Verè Astrosophus ille nunc est, qui regulas indicit potiùs Vitæ. quam Astris. & sic eam peragit, ut posthumus ad illa transferatur.

Divinus est quisque benè-moratus, & ideò Divinatione indiget nullâ. Scit contemnere prospera, sufferre infelicia; non superbescere in secundis, non frangi adversis. Vtitur corporeis, non fruitur. Præsentia possidet, futurè-æterna expectat. Ignorat nihil utile, nihil nocivum didicit, nihil conservat perniciosum.

ACROASIS XII.

Esse inutiles reliquas Facultates.

Scholasticæ subtilitates vix utiles. Objectum veræ sapientiæ Cor, finis istius Deus. Omnis Sapientia à Domino.

ESto: sis in re Philosophicâ, immò & Theologicâ summè versatus. Demus percalleas Divini Ideas Platonis, atque vertutias Aristotelis, & acumina culta Porphirii. Cognoscas (sîs) Dialectica, Physica, Animam, Cœlos, Motum, Generationem; Tempus, Meteora, & controversias reliquas; Dicito, quid tibi

proderit ſcire,utrum Materia poſſit prima exiſtere ſine ſubſtantiâ, Formę?ſublatâ quantitate ſeu minui,ſeu multiplicari?Quid conducet reformationi morum Entium rationis controverſia?Ecquid Continui compoſitio?Quid tua intereſt examinare, utrum Peccati ratio ſit poſitiva, aut negativa;qui potiùs inquirere debuiſſes, quî poſſes peccatum evitare?an non utiliùs quæreres, qualiter amaretur Deus,quam qualis amet?Omitto reliqua,nam eſſet prolixum recènſere;ſufficiant iſta,ut videas te ſtudere inutilibus,non neceſſariis deſudare.

Tandem igitur, Narciſſum exue. Scias eſſe in tuo corde objecta,& rerum ſpecies,quibus contemplandis,cognoſcendis , nec ſufficeret vita longiſſima. Omnes dies , omnes horæ, ſunt præmiſſæ,quę inferunt neceſſariam,atque feſtinam Concluſionem, quam?Concluſio rerum omnium Mors. Vnum Hominem ſapientem lego: ſed hic Salomon ſapientiam non niſi à Domino impetravit.Deus eam ipſi,ceu fons,atque ſcaturigo æternùm-copioſiſſima:ipſe eam perdidit, cum primùm ſpiritui delicias tereas maritavit.Deus hanc mortalibus communicat,ut cauſa prima;concurſus requiritur ſecundæ,quamlibet elevatæ. Hæc ego: nempè inſtrumentum Sapientiæ cœlitùs-Empyreæ,ut & Lectores inſtruam,& doceam,eſſe omnem doctrinam,quæ à Domino elonget,dediſcendam:illi ſtudendum unicæ , quę informet mores, atque vitam perficiat.Quid doceam,quod nec didici?agam ut inſtrumentum ? ſcilicet in Cauſæ Virtute principalis. Hanc oro,hanc deprecor,ut doceas docens, atque inſtituens inſtituar.Faxit æternè-Omnipotens,ut labor iſte meus,ipſi ſit gloriæ,& moribus inſtitutioni: ſi iſtos perficimus, gratulemur nobis donatis veriſſimâ ſapientiâ,notitiâ primariæ Veritatis.

PARS SECVNDA.

Hominis Fœlicitas Terreſtris VANITAS.

OMnis Homo ſupéramat Fœlicitatem, Beatitudinem quærit: hanc, illam invenit? rarus, & raró. Equidem rarus Fœlicitatem invenit: & qui hanc: non ſolùm raró, ſed & ſemel. Cur? quia vera Fœlicitas non eſt in vitâ; Vna manet poſthumos, quia poſt Mortem nullus locus viciſſitudini Fœlicitatum. Fœlicitas dicit ſecuritatem, nec ſecurus, ac perinde nec Fœlix ille, qui poteſt cadere. Aptè Boëtius *Metr.* 1. *libr.* 1.

Quid me Fœlicem totiens jactaſtis Amici?
Qui cecidit, ſtabili non erat ille gradu.

Dum vivimus cadere poſſumus; poſthumi nec cadere, nec à lapſu reſurgere. Ideò Hominis Fœlicitas Terrena, vanitas: quia vera nulla. Citatus Author. *Metr.* 12. *lib.* 3.

Fœlix, qui potuit Boni
Fontem viſere lucidum!

Fons Boni Deus; viſemus hunc, cum devivamus: idcircò ſubiicit

Fœlix, qui potuit grauis
Terræ ſolvere vincula.

 Intel-

Intelligo? Expende ergo utrum fallar in ideâ ſententiæ profundiſſimæ. Omnes Mortales ſolvimur corporeis vinculis; quis eſt enim, cui pepercerit Mors? non tamen ſolvimus nos ipſos univerſi. Si te corporeis laqueis Mors una ſolvat, non te Fœlicem dixero, ſed potiùs miſerum. Beatum te prædicavero, ſi te præſolvas, ſiſque per virtutum exercitia illecebris his ſolutus, & expeditus ante Mortem.

Porrò in viâ nulla vera Fœlicitas, ſed expeditio hæc, quæ non à Morte, ſed potiùs ab intrinſeco Imago eſt veræ Fœlicitatis. Perfectè-Fœlix eris, cum Deum videris ſicuti eſt: ad veram Fœlicitatem ipſe appropias, cum quantùm Mortali conceditur, Cauſam Cauſarum contemplaris. Virgilius. 2. *Georg.*

Fœlix qui potuit Rerum cognoſcere Cauſam,
Atque metus omneis & inexorabile Fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis Avari.

Cauſam legi, non *Cauſas*, quoniam mihi Cauſarum una eſt Princeps, & Felicitas conſiſtit in hujus, non verò in harum cognitione. Verè cognoſcere Deum diceris, ſi re cognoſcas: recognoſcit attamen ingratus nemo. Tunc Domino ingratus no eris, cum obligationi Naturæ; & Gratiæ ſatisfacias: ſi ſubſcriptis ſubjaceas regulis, non poteris non ſatisfeciſſe.

ACROASIS I.

Obligationes expendit Naturales.

Vitæ cura: Curæ vita, Cognitio ſui. Animus Nauta ſtella Polaris Deipara. Corpus Pinus, Arbos hæc nuſquam florida. Qui Virgo eſt Mundi Hoſpes,

sed Cœli Civis. Præfectus gubernaculi. Corpus faciendum parvi, non nihili, Ratio inutilis si fuerit Recta cur?

EX naturali quâpiam obligatione duo teneris (ô Homo) conservare. Videlicet, & hujus vitæ curam; & hujus curæ Vitam: Vitæ cura (placet sic diffinire) est particularis providentia, Corpori Humano procurans necessaria. Hujusce curæ Vita? Virtus: sed enim est Cura quæcumque Virtute deficiente, mortua. Libet hanc vocare Temperantiam, quæ Corpori neget superflua. Vitæ cura prospicit Corpus, Curæ istius Vita perficit, atque decôrat Animum. Indiget hic, illud Vitâ, & Curâ. Alterutra sufficit neutri; utraque est necessaria.

Vitam habet lasciviens Adolescens, verùm nocivè-inutilem, quoniam hanc sine Curâ. Curam Stygis incola, que necei proderit, quoniam hęc sine Vitâ. Macte igitur Iuvenis donato Vitam Curâ, dum poteris utramque conjungere; quia si scorsim alterutram habere velis, damnaveris nunc incuriâ Vitâ, Curâ post eternùm-deviventi.

Sorores sunt Vita, & Cura: hęque nuspiam opposite. Illam Naturę debes, fac debeas hanc Rationi: utramque Causæ Principi, hanc illam Deo. Cura nusquam Vitę contradicit, ni contradixisset ista Curę. Hęc Vitę provideat necessaria nondùm petenti; neget superflua deprecanti, auferat pręsumenti. Docearis ergo ante praxin, qui debeas Vitam dirigere, ut sit Curiosa; Curam ut sit ipsa Vitalis: quia aliàs væ misero, si impediaris & Vitâ Incuriâ, atque Mortali Cúrâ. Instrue theoriâ legitimâ Intellectum, ipse præseferet practicam, solicitamque Voluntatem.

Te

Te disce:quia cum te scias,non indigebis notitiis,atque ideis alienis.Simplex non es,nec moribus,nec conditione:ut illos corrigas,istam speculeris.Componeris ex parte duplice,nempe Corpore,& Animo.Harum Princeps est ille,subsit illud.Animus Navarchus verè sit,qui Pinum regat.Corpus sit Pinus,Maris hospita, sed à Navarcho dirigenda. Ab Eoâ regione (est sedenim intercapedo brevis;motus velox,quoniam præcipitatio) summa properat,atque festinat in Occiduam: perveniet postmodùm.

Dixi Navarchum Animum lintrem hanc directurum:an fortè corrigendus ? Dixi sed aptè.Is navigat in Corpore, sed pervigil:nuspiàm simul incurius, & securus.In vastis Oceanis, in campis periculosè liquidis semitæ nulla delineatio.

Itineris consultus quis?Splendor ille Æthereus,qui dicitur *Polaris* Geographis,Hydrosophis *Maris-Stella.* Quæ? illa unicè quæ in Hymno,Dei Mater alma salutatur. Hæc acum Nauticam dirigit,ventis præsidet,præficitur imperio Maris.Hęc,quam in discrimine,immò & in crimine constituti invocant,semper auxiliaturam.

Corpus est verè Navis;impetunt fluctus, sed franguntur, non frangunt:fluctuent tribulationes,& fractę cedant succedentibus; frangas integer,in iis quamlibet procellosè adversis, nullatenùs ipse frangaris.Navim dixi ! cur Pinum ? quod nusquam floribus debeat redimiri.Sunt Arborum diversa ingenia. Aliæ florent solummodò:aliæ fructificant,& florent. Pinus solùm fructificat. Coronetur floribus,antequam marcescant, geniosus Dives;luxuriet criminosè-avarus;est Arbos infructifera, nîl productura prę-ter flores. Post flores politicè profanos, germinet Honoris, & Hone-

Honestatis fructus Magdalene. Laudo Honestatis fructum, sed flores condemno voluptuosos, solùm Pinus, qui Virgo: fructum spiritualem protulit, contempsit Mundi flores, qui sensum recreant, & Animo sunt impedimento. Tribuunt lintribus materiem, Arbores universæ: sed Lintres non vocantur Salices, Abietes, Populi: Vix uspiàm non vocantur Pini. Ratio? mî manifesta. Omnes in hoc procelloso Oceano vela damus: navigamus innumeri, sed sunt Pini, hoc est, Naves Virgineæ, securiores. Mari hospiti Pinus dicitur Elementari: cur non, Morali Virgo? Hospes erit Oceani quousque ad portum appellat; cujus Regionis? Patriæ, hęc autem? Cœlum.

Non licet Nautę-Animo Carinam-Corpus relinquere fluctuum arbitrio; quia ni ducat eam ad portum cœli, ipsa deducet eum ad partes Scyllæ, ubi naufragio pereat. corpori, ceu Domino ne servias, sed domineris Servitori. condemnes eum expensis, & ita ipsius divitias universas consumas, ut & pauper evadat; cogat saltim necessitas subjacere spiritui, quod petulantia recusarat. Ne timeas Anime: quid referet, si id consumatur? Rerum species Rationales (fidem multam Theologis) desinunt per non-usum: cur non, & corpus, quando sit imperfectius? si futurum est, ut desinat id per non-usum: Vtere audacter. Serviat Menti. Vtilius est per usum illud auferatur. Desudet, laboret, ne torpescat. In vultùs sui sudore comedat, sed panem lachrymarum.

Parva res corpus, non ideò contemnenda, quamvis facienda parui. Indiges tamen longo studio, ut illam parvam parvi facias. Homo semper extrema: medium attingit rarò. Correctione dignissimi, qui quasi, corpore carerent, volunt philosophari. Hi

Corpus nihili. Contra Naturæ jntemerandas regulas, fortè ut serviant Hypocrisi, negant Corpori præscissé-necessaria. Alii autem quasi carerent Animo, indulgent voluptati, & appetitui serviunt, & Corpori idololatrant. Majoris isti corpus, minoris illi faciunt debito; verùm neutri laudandi. Intersit Temperantia: Faciat corpus, nec maximi, nec nihili, sed parvi, si necessaria tulerit, nec multa obtulerit, nam opus paucis.

Res equidèm vel parva Corpus, ideò ab Ethicis Microcosmus id dicitur, quia Μικρὸς interpretatur *Parvus*. Reliquum scire oportet te Animum parvo in Corpore peregrinari, atque indigere conductore. Quo ducis Voluntatem? Hæc cœca: cares oculis: quem tibi exitum ipse proponis, cum cœcus manuducas cœcam? cades, cadet. In parvâ peripheriâ habes latum spacium? non sufficiens tamen, ut æternum oberres. Manuduc Voluntatem, sed â Ratione manuductus. Prodest Voluntas recta, recta obest Ratio: non enim hæc est utilis recta, sed regens, sit pro Ratione Voluntas iis omnibus, qui serviunt Appetitui: sit verò pro Voluntate Ratio universis; qui studemus Virtuti. Consultò dixerim, Virtuti: non enim laude dignus, qui Virtutem studet, si non Virtuti.

ACROASIS II.

Instructio Animi Corpus gubernaturi.

Animus sæpiusculè Non-animus, Corpori æqualis, minor, major: quando? Corpus servus. Vita mutua.

Sis

SIS animæ erga corpus: quis? Animus. Miraberis, quod talia dicam. Credis Anime, quod non-Animus esse non potes? Nescio an credas, scio attamen te merè contrarium experiri Si corpori sis Animus, quare non animas actiones universas? Ec- cur ipse permiseris, eliciat opera mortalia? Siquid fecit mortiferum tua in causâ est incuria: saltim tunc temporis non animabas. Non coexistunt Mors Vita. Qui hac id illuminas, & illam eliminas quà naturalem, impetra, dote cœlitùs transnaturalis Gratiæ perfi- ciaris, ut possis Moralem Mortem evitare. Proximus ipsemet tibi. Suspendis Naturalem mortem? prodes alteri, nempe Corpori: si- quidem immortalis cum sis, parcus nîl perdis Parcis. Moralem evitas, aut eliminas? tunc Anime prodes utrique: videlicet, & tibi, & Corpori. Culpa est Mors Animi, quę peperit Corpori Mortem Ne moriaris Authori, qui mori non poteris Mundo; vel si potes, morere Mundo, sed non Deo.

Macte animo Anime. Sis ipsimet corpori: quantus? non te vo- lo infinitum, neque majorem corpore, ne extra id liberiùs evage- ris. Infinitus dicitur, qui caret fine: mihi, tibi, finis verus est Deus. Si proindè cogerer carere Deo, noluissem infinitus esse. Ne sis corpore minor, servies enim majori: sis æquus ipsi Dominus, at- que Tirannus nuspiàm. Totus sis in gubernando corpore, es e- nim totus necessarius. Totum illud, & unicè, à te pervigile rega- tur. Cur unicè? Quoniam id sufficiens solicitudo tibi: & si id be- nè rexeris, nullatenùs torpesces otio.

Sis ipsi: qualis? non quasi propter ipsum viveres, nequidèm ip- sum tibi est operandi terminus: vel si ęst, væ tibi. Ne illi sis, quasi per ipsum vivas; cum illud potiùs non viveret, nisi per te. Neque

ſis eis,qui ipſimet vivas :non enim vivis, cùm non Deo. Tracta id,Homo ſapiens, qualis malum Comitem,ſed neceſſarium:quo deficiente nullatenùs vivere poſſes.

Tibi famulum corpus ſuppoſuit rerum omnium cauſa: nulla ipſi injuria,cogaturRationi famulari.Servus eſt:non niſi ut ſervus ab Homine tractetur. Repende ipſi, quæ fuerint neceſſaria : nec veſtes, nec alimenta neges;non autem hæc, ſi noceant : ſi dedeceant,nec conceſſeris illas. An non dedecus ſummum, ſerviat, qui natus imperare?jubeat,quod natum obedire? Nihil debetur corpori,propter ſe ipſum,ſed cuncta propter Animum: demonſtrat id cadaver : corpus eſt expers Animi, atque ideò victu, ac veſtitu indignum.

Vt vivas corpori nuſquam permittat Ratio, ut vivas cum corpore permiſit.Corpus ea vult alere,non tamen habet media, ut poſſit inſtituere convivia paſſionibus, & appetitui.Hic arrogantiæ,illæ vanitatis ſunt filię,& ſi Rationi permitterentur cohabitare,ſuperbè audaces ſuppeditarent ipſam: ut profuſores prodigi theſauros Memoriæ brevi tempore dilapidarent.

Vita tibi conceſſa cœlitùs,non condonata. Quam accepiſti mutuam,reſtitues repetenti.Tempus(ſi benè examines)breve eſt, & ideò totum neceſſarium,ut inſtituas rationem, quam reddes Domino de vitâ tuâ.Corpus nec uni inſtanti dominetur, quia ſi-cui ipſum præſit,unâ atomo maculam contrahet,quam non lachrymis annoſis laves.Docebar à Philoſophis motum non fieri in atomo:dedoceor modò:in atomo fit infinitus.ExVitâ ad Mortem,ex Gratiâ ad culpam eſt tranſitus;diſtantia illiminata:verùm in inſtanti percurritur.

ACRO-

ACROASIS III.

Vita est Mors.

Humanæ Vitæ diffinitio. Mors omni Mortali necessaria. Vita alitur Morte. Medicina mortifera. Ventus mortifer: Aqua nocens, salus impossibilis. Vitæ Ectypon. Venter carcer, Mundus via, sed Mors patibulum. Mors species congenita.

Est Vita, Mortis dolor, perennis angor, perpetuaque solicitudo. Hic dolor, est semper coævus ipsi vitæ. Quandiù vivimus, dolore angimur Mortis, nec donabimur doloris Morte. Ab ortu incepit operarius: verùm nec requiem habet, nec præmium donatur ei; nec ipse præmio, quousque perveniat ad Occasum. Is Mors est Microcosmo.

Simùl incipimus, & nasci, & mori: Volat tempus, nec licet id nobis detinere. Appropiat Mors; quam, si essemus sapientes, desideraremus nusquàm: quam, si sancti, nequaquàm timeremus. Anteà incipis mori, quam cognoscere Vitam. Vita amara, etiam in ipso limine. Vix ad Mundum veneras, & pœnituit te ingressum esse. Quí? negas? Lachrymæ illæ tuæ occulti sunt doloris indices? Nec es egressus in Mundum sine lachrymis! Rideo, quod anxius illachrymeris Vitæ: illachrymor, quod non subrideas Morti.

Hæc fortis, necessaria; invicta: Ipsi tributat omnis Caro; nec illa immunis, quę assumpta à Verbo. Vita è contrario fragilis, & si dici liceret, fragilissima. Vnus sufficit occidendis quam plurimis,

vix duo vel uni generando: nullus regenerando, præter Christum nemo resuscitando, præter Deum. Continuandæ Vitæ, saluti conservandæ sunt necessaria innumera; uniuersa nec satis. Quæ herbula, quod animalculum, lapillus qui, quæ provincia, quæ regio, quod elementum reperitur, quod non sit necessarium, victui, quieti, motui, hospitio, vel saltem ornamento? Quî posset non esse debilis, & misera, quæ Morte alitur aliarum rerum? Si Corpus tegis, & contra temporum tueris insidias inclementes: occisum fuit Animal, ut tegereris ejus lanâ. Si comedis: Mors Bruti priùs ebibit Vitam, cujus vésceris carne. Vt Vitam alas, tuam comedis paulatim ipse Mortem. Est extranea pectori, quæ ipsi memoriæ extranea. Oneras stomachum cibis, ut perennes: ingurgitas Parcas; hauris, & ébibis præludia Mortis: non hoc herculè perennare in Vitâ, sed properare in Terminum. Cibi sustentant, & alunt Corpus, fateor, interim consumunt calorem naturalem, in quo vitæ consistit conservatio.

Quam aptè, qui cognominavit Lucem; Hominem! Lampas est, illustrissima, alitur Oleo-Vitâ. consumit autem id paulatim, quo alitur, vivit, splendescit. Luce Homo, festina. Ambi Dignitates, ac splendidos Fortunæ titulos: Quò magis luces, eò citiùs vivus consúmeris, eò intensiùs exardebis devivens.

Damnat te capite Venenum! An unum? unà & Alexipharmaca, si dedicerint hæc occasionem. Acutè Ovidius.

Temporibus Medicina valet: data tempore prosunt,
Et data non apta tempore, vina nocent.

Quid vento suavius? quid aurâ lenius? heu! plurimos de medio tulit, plures de initio. In ætatis adhùc limine Iuvenes, fouent in-

cendia

cendia naturalia: si hæc augeat circus, palæstra, Iudus (si mávelis Mars, Venus) patescent per poros ad Cor secreti commeatus. Fidunt ętati adolescenti, exponuntur Iovi, & flabello venti leuissimo extinguntur. Aptè luces hoc dixeram, qui velut Luces extingui assolent vento.

Sudore madidus aquam desideras rigentem, calorem lenituram: at in hac? Mortem. Quot ea exuit Animos Corpore? plures quam illa, quæ vastissimo vagatur pelago, & liquidâ invidiâ ruentibus lignis insidiatur. Vastissima requiritur, ut summergaris: sed satis, ut extinguaris, minima si tu extra modum sudes, si illa frigescat supra modum. Benè Aqua dicitur, à quâ omnia: generantur? ita sentiebant veteres: corrumpuntur? ita sentimus cordatiores.

Occídit frigida: verùm nec parcit calida. Quot expensis, & curis in Thermis plurimi invenerunt Mortem: plurimi accelerarunt, sensibile si excedat, lædit sensum: solummodò lenit, si æquipolleat. Balnea salutem dare nequeunt, quam non habent: pendunt prodiga humidum calidum, igitur & principium corruptionis. Perennant frigidè-humida: siccè-calida non vident Mortem: calidè-humida diutiùs non remanent, amat etenim Mors hujuscemodi dispositionem.

Cibus, si excedat, suffocat: haustus extinguit; motus lassat; quies torporem infert: vigilia nimia phręnesin, nimius somnus Lethargum. Nihil tibi in rebus creatis salutare. Cares salute, cur eam ambires, quam habere non potes? An donabitur illâ, cui Vita ipsa immedicabilis est Morbus? Lex Naturalis non subjacet Hominum arbitrio, neque dispositioni: Non mutabitur

Arte,

Arte, nec precibus uſpiam flectetur. Hæc Lex intemeranda te condemnavit capite in primâ conditione,expoſuit ſententiam in puerperio. Vel ſi ambigis. Fuit aliud egredi ex ventre,quàm ex tetro & obſcuriſſimo deduci carcere? Comitantur, ſtipant quatuor Humores?hi ſunt Cuſtodes continuè-vigiles,ne fugias:hi te cohibent Apparitores,hi te deducunt ad patibulum:Hi ipſi,Carnifices,qui cum veniant ad locum deſignatum, plectent. Angeris?volo moderari timores ,recreare ſpiritum,& recenſere Hiſtoriam lepidè-veram,ut Animus ille tuus alias laxiſſimus , modo utcumque laxetur. Non potero fallere, qui Veritati ſtudeo : non falli,qui fuerim teſtis oculatus.

Stipatus Militibus, atque Miniſtris publicis concitato greſſu ducebatur quiſpiam ad Crucem. plectendus erat,cum ad metam præfixam adveniſſet. De ſalute ſpiritus qui debuiſſet agere, petit præſentiam Medici,& ab hoc medicinas. Adhæret muro : conſulo ut quid?reſpondet:ut recreetur umbrâ, quia in mediâ plateâ radii erant ſolis,quos audierat capiti nocivos Non vult clariùs loqui,ne frangat pectus.Candidis objectis negat oculos , ſunt etenim diſgregativà viſus.Quid dicerem audiens talia,ac perſpiciens ſimilia?Phręneticus eſſem,ſi eum non crederem infectum phręneſi.Aut ſi hæc deficiebat plectendo poſtmodum, quî aderat oblivio rerum tranſnaturalium ? quî ambiebat ſalutem , eam poſtmodum ſimul cum vitâ proditurus ? Deliquium Mentis erat, fateor ; & ut credo, fateris. Nec dubito, aſſentieris mihi.

Cognoviſtin' plectendum?Ipſe es. Non fuiſti priùs in Mundo,quam in carcere.Dum in illo miſerrimè detinereris , agebatur

tur tua, cumque à pluribus penderet Causis, nusquam sine discrimine. Habebas duos Actores. Sed Advocatum neminem. Non erat controversia, an debuisses absolvi? natus eras in crimine Empyreæ læsæ Majestatis; hoc infert necessariò Mortem-pœnam. In ipsâ genesi condemnabaris: Lis tota: an debuisses clam puniri in carcere; an ex illo educendus per viam publicam usque patibulum. inibi decollandus? Decretum est hoc ultimum. In viâ es, carcerem reliquisti. Qui non poteris non-properare in terminum, nec poteris illinc transire. Præfixit Providentia limitem, ultra quem, vel non est aditus, vel nullus tibi. Sententia est lata, verbum irrevocabile. Locus præfixus, tempus decretum. Cur igitur oblivisceris salutis incorporeæ? Eccur ambis terrenam? Fatigas Medicum, expendis media, consumis pharmaca. Fugis insalubria, horres pericula, delicias appetis, statim moriturus? Cum procuras similia, aut quiescit Ratio, aut operatur supposita Appetitui. Nec dubites, incidisti in phrenesin, vel in insaniam. Fac finem imponas morbo Mentis, ante quam illum tuæ imposuerit Vitæ morbus Corporis. Terrestrium obliviscere, contemplare Cœlestia. Nolis, velis, moriturus es Corpore; morieris Animo, non tamen si non velis. Si illud præponas isti, tuam ipse amentiam publicabis, quam publico. Exhibes te bifariam imperitum, tùm quia contraire gestis necessitati, tùm etiam quia anteponis luci caliginem, candori maculam, atque ignobilius præstantissimo.

ACROASIS IV.

Hominis innumeræ miseriæ.

Contraria vitæ plurima quæ? secunda? maxima? Homo inimicus sibi. Omnia cujque molesta.

DIcebat, nusquam Diviné-magis, Plato: species Homini fore congenitas. Quid species? alii magis Philosophicè, ego apté magis. Species est individua multiplicatio rerum Quando? cùm ex uno fiunt duo. Accidit? cum ex individuo Homine solutâ unione fit Corpus, Animus. Individui hæc multiplicatio; hæc partium dissolutio: hæc Corporis, & Animæ decreta separatio, illa est, quæ Mors. Homini igitur Mors est congenita: Cum Morte is nascitur; mori incipit, cum vivere: perennat moribundus: nec anté imponit finem Morti, quam Vitæ.

Iuvaret recensêre nociva pharmaca, mortifera venena, quæ Natura produxit, invênit Ars: omnia contra tuam Vitám. Iuvaret, sed non vacat. Missas fac viperas, serpentes, dracones, cocrodilos, colubros, hyennas, harpias, animantes, volucres, pisces, fructus, herbas, metalla, mineralia, lapides, & reliqua: quæ si mordeas, à quibus si mordearis, moreris. Noli, memoriam gravent infortunia, quæ permisit divina Providentia, cordi probando, non frangendo. Succubuerint innumeri violentiis fulminum; ignibus repentinis. Orbata fuerint innocentum corpora Animis candidissimis, arbitrio atque violentiâ Tyrannorum.

Civi-

Civitates integras, immò & Provincias, & aliquandò totum mundum submerserint inundationes. Nupserit Marti Mors, ut liberiùs occideret: non moror proditiones, non bella, non seditionum latrocinia. Sileo diluvia, cataclysmos, fulgura. procellas, terræmotus. Miseriæ sunt istæ, vel magnæ: verùm maxima aliundè. Vnde obsecro? non nisi à temetipso.

Homo es: & natus de muliere. Ecce miseriam primam. Non potuisti sine muliere nasci, ideò vix poteris sine muliere vivere. Si non-convivas, eris Carnifex sensûs; sed Martyr si convixeris. Ea est Crux appetitui, si sit absens: præsens verò Calvarius, hoc est, tres cruces. Absens torquet unum sensum solummodò; si sit præsens, potentias; si præsit, totum Hominem, totam familiam. Indè sequitur, & persequitur miseria altera, verè secunda: nempe quod brevi tempore ipse vivas. An hoc secundùm? maximè, quia si tam brevi tempore superstes tot mutationes pateris, quot, si diutiùs perstares? Tota Vita dies unica: & in hac repleberis miseriis pluribus. Quasi flos egrédéris, atque marcescis: umbræ similis éffugis, & nusquam permanes in eodem statu. Magnę Hominis miseriæ hæ! numero plurimæ, pondere quasi immensæ! An inter istas maxima? minimè. Quæ igitur impetentium Hominem miseriarum miserrima? edissero. Illum nasci, adolescere, vivere, virescere, contra semetipsum.

Si non doceris, doceat. Quis tibi infensior inimicus, quam tu? quis hostis acrior? quis contrarius severior? Vniversæ Animantes vivunt, cum vivunt, atque moriuntur, cum moriuntur. Solus Homo moreris cum vivis: utinam & vivas, cum moriaris. Occupas simul multa spacia, est in pluribus locis, & quod *rarius* (revoco,

co,restituo:*crebriùs*)est,existis in multis temporibus. Extra Corpus per inane difunderis,seu re,seu opinione.quia aliàs nec Aulis, neque Palatiis indigêres,si in Corporis spatio uno habitares. Parcunt Naturæ regulæ:ines pluribus locis,& cum hîc habites,bella ultrà marina te inquietant;quæ tui istic experti fuerunt, felicia,te recreant:quæ alibi infelicia,te frangunt:ubique es, ubiquè mutationem pateris. Vivis diversa simul tempora,conjungis præterita futuris. Times his? heu! nimis citò: illachrymaris illis? nimis serò.

Esto frangant te tua,si contra votum:eccur aliena? Si ille properat,est imperitè-levis;si moratur,est superbè-gravis:si loquitur, est garrulus;si tacet,saturninus:& tibi molestus, quidquid faciat. Ægrè fers temeratium ,pusillanimi irasceris. Quia is infortuniis affligitur,condoles;quoniam illi accidunt prospera,invidiâ lacesseris:& quidquid fatum faciat,non quiescis. Si alter quid dicit leviter,tu id audis graviter;& publicas te injuriâ affectum. Quid tua,alius fuerit elinguis-dissolutè? Qui non fueras in culpâ,cur ultrò tibi inferes sententiam pœnæ?si te vindicas,discrimen appetis,furor ipse accenditur,& ampliùs crescit;iræ etenim, hosti repensum damnum,materiem subministrat. Si vindictæ non sufficis,ipsissimus ardescit furor,quoniam illi non sufficis: tributat pabulum insufficientia. Mortem times; verùm contra hanc quem agis?Si Animam,moreris;si corpus,devixisti: nec licet utrumque simul facere. Si te cœlitùs-immortalem credis, cur non provides æternitati?Laureola te manet,aut pœna : verum utraque æterna.Si te corporeè-moribundum sentis: eccur terrenis, & caducis studes,ac si nullatenùs timeres Mortem?

Quæ

Quæ animans (dedo locum optioni: eligas ineptissimam, & minùs-docilem) est suarum miseriarum causa? quę sibi conscisci, atque ingeminat Mortes? quæ se mœrore afficit? tristitia inficit? quæ se persequitur? Homo unicus, præter hunc nulla. Sibimet est contrarius: quare? quia nec se cognoscit, nec suam Vitam. Hujus nescit principia, nondum didicit finem, ac ideò media dedignatur.

ACROASIS V.

Hominis Genethlia.

Homo nascitur: quomodo? cui? Homo nihil. Mens nihil: quanti habenda? Voluntas, melior aliquo si fiat nihili; pejor nihilo, si magni. Omnia Homini, Homo conditus Deo.

NAtus es in dolore, conceptus in peccato, scirene sufficit te natum fuisse? minimè: nimirùm si nesciveris cui ministerio. Ne superbè tumeas; nec credideris te ad aliud esse conditum, quam ut hisce utaris, quæ communicaverit Omnipotentia. Si natalitia sint causa superbiæ, aut vanæ gloriæ; accipe tubos opticos, & respice ultra Genesin. Quis ante Genethlian eras? nullus, nihil. Ergo miserrimo quoque miserior, quia supremum infimi, infimum supremi non superat, & melius est esse, quam non esse. Animadvertas obsecro. Es qui olim non eras: ades, qui post non eris. Hoc rarum! es sanè, sed plerumque Nihil: Verè non calles. Sine Deo factum legitur Nihil. hoc est, peccatum. quia præter culpam nulla fiunt sine Deo. Si totus peccatum ipse sis; cur

non te debeam Nihil,& Nihilo vilius,nuncupare? Nîl eras Peccator ante conditionem:nîl eris cum devixeris; dum super-es, es etiam nihil. Hæc mera veritas: si aliud tibi persuadet appetitus, illud aliud est vanitas.

Nihil es; Nihil tuus Intellectus; tuus Appetitus Pater Nihili. Nec ideò velim contemnas illud Nihil, quod Intellectum nominavi. Magna concipiuntur ab hoc Nihilo,id est simul-capiuntur:Omnia cum capiat,à nemine capitur,qui non sit Deus. Nihil est etiam Appetitus,quod si nihili fiat,erit melius aliquo:si maximi,deterius Nihilo. Is cum Nihili penditur à Creaturâ, quà Rationalis fertur in Creatorem:cujus & ipse capax. Mentis, & spiritualis Appetitus thalamus Anima.Deo similis,æternaque.Te,quà ipsius ectypon tanti æstimavit Protòtypus ipse Divinus, ut tibi uni crearit universa; instituit, subsisterent tuis omnia pedibus. Quorsum hæc? An juvat talia recensere? Ingenium tuum elatum est tu perennis efferris! forsitàn qui tibi talia enumerat, occasionem præbuit superbiendi? Non præbuit; quod si fortè tumescas, non fortis es: superbis sine causâ,tumes sine occasione. Hæc omnia non prodesset negare, sunt enim vera. Si asseveres nihil debere Deo,esses Atheus: si omnia Naturæ Viribus tribueres, Pelagianus: si non fateréris esse Dei éctypon,irrationalis: si beneficia,quæ continuò accipis,cognoscere noluisses,ingratus. Cognoscas igitur; nec cognoscere proderit,ni recognoscas. Superbire non licet, quia esset summa insipientia: Cum in te dotes nobiliores consideres, & ornamenta, cognosces velis, nolis, omnia deberi Deo, sine quo essent hæc,illæ,nulla: sine quibus esses & ipse Nemo. Igitur qui in te Nullus, atque in Deo es Magnus,in te ipso humiliere;

& in

& in Causarum Principe gloriare.

Præsumptio summa est, atque Atheismi species, glorieris extra Dominum: non enim, quà te commendes, eris laureolâ dignus, sed quà Deus commendet. Contemplare universa, & bene contemplare. quia sicut Sapientes Heróes, mala sæpiùs speculantur bene, hoc est, utiliter; fortasse eris Insipiens, & speculaberis bona, sed malè. Tibi uni Deus creavit universa: qui abnegem? tibi Terrarum Orbitam, crispantem superficiem Oceani, vastissimos Ætheris campos; tibi animantes, pisces, volucres: mira dicturus sum, Cœlos, Empyreum tibi. An hoc scire sufficiens? progredi: docearis ulteriùs. Hic est Achilles totius Contemplationis. Deus tibi produxit universa, quoniam te sibi. Hîc optimæ summa Philosophiæ: hanc dedocearis nuspiàm.

Deo conditus es, cujus es capax, non Mundo: ne vivas ergo Mundo, sed Deo. Qui Gratiâ capax es Infiniti, ne sis expers malitiâ, sed quò liceat Viatori te comporem exhibeas Infiniti. Maxima capis, qui infinito concipiendo sufficis: sed vel minima poterunt esse impedimento. Igitur impedimenta elimina, ut cum liberiùs in Animo possideas, qui possidetur, verùm non nisi liber, non nisi in libero.

Is Deo similis est: ergo præseferat similitudinem, agat Dei ectypon, non verò culpæ protoagônon. Operatur, non autem prout imago, quotiens mente captus, materialia atque corporea capit. Dicas hunc humilem sed ego pusillanimem, quotiès subsistit sensui. Excusemus excusationes in peccatis. Quod si ea excuset Animus, is multifariam peccat: primò ex fragilitate, quoniam

niam ſenſualia ſequitur:ſecundò ex puſillanimitate; quia Appetitui ſubiicitur,cum potius deberet ſupereſſe:tertiò; ex ſuperbia, quia tuetur crimina;ex hypocriſi quartò,quoniam ſcelera Virtute induit.Si tempus non deficeret,nec deficeret calamo,in quo Animus peccaret.quintò, & ſextò.

ACROASIS VI.

Reſtitutio Animi exorbitantis.

Omnia Homo invertit. Corpus Mortis Vmbra:Animus, Vmbræ Mors. Saturnalia ſæpius celebrat Animus.Corpus ambit Monarchiam: antiquius Animo. Surdeſcens ultrò.Dei Legati: qui? Litteras pecbatori Deus:quando? quas? per quem? Contemplationis forma. Dives non differt ab egeno, is non illi cibus, Veracitas profitenda.Pericula ante geneſin. Corpus ſepulchrum Animæ.

TE miſerum! convertis omnia, quandiù te non convertis. Corpus Mortis vmbram, tractas ceu vmbræ Mortem. vmbræ Mortem Animum ceu Mortis vmbram .Deponas inſipientiam,& naves operam Opticę (meliùs Optimæ) hui Ichnosóphiæ.Corpus nîl aliud eſt,quam Vmbra:ſed cujus?Mortis. Quandiù Corpus mortale ſit,erit vmbra;nec priùs Mortem aſſequetur hęc Vmbra, quam illud Immortalitatem. Animus ſenſus ætheteus eſt,Auræ ſimplicis Ignis, Splendor Patris æterni?non;Reſplendor tamen ſplendoris;illimitati Luminis imago limitata.Ipſe eſt & vmbræ Mors,quoniam eſt lux.Lux autem eſt Mors Vmbræ.Quâ Ratio illuminat,effugiunt tenebræ,atque clareſcunt

rescunt omnia. Is igitur superior sit, obediat aliud. Accidebat tibi quod Romanæ in Saturnalibus Reipublicæ, in quibus accumbebat Mancipium, atque imperabat Hero. Pejor Idololatris Romanis es, quia nec illi diutiùs agebant Saturnalia, quæ tu semper instituis, & exerces supponens Rationem-Dominam Ancillæ-Voluntati.

Præter morbum, qui in substantiâ & quantitate residet, nempe Avaritiam; & eum, qui in qualitate, scilicet Arrogantiam, adhuc laboras loco. Habes nullam partem in debito. quid? hercle redoles confusum Chaos. Ignis cœlestis-Animus, ambit centrum Microcosmi, quod & debuisset dedignari. Terra-Corpus Elemento leges indîcit nobiliori, & indignè superest, quoniam dignissimo. Ratio subsistit insolenti Appetitui, qui Tyrannidem exercens summam, ambit Monocratian, non quiescit, nisi imperet solus.

Antiquius Animo Corpus expendo, nec ideò concessero dominium Corpori. Ne antiquiores, Antesignati sint, sed peritiores. Illud insipiens est; is è contrario sapientissimus: ne igitur Argon pars cœca dirigat, sed illam Argos. Desinat subesse Animus Corpori, antequam illud superesse; Ebibe meam ideam. Præsit Rationi Corpus. Erit Corporis tyrannice-insolens, non tamen postume-perpetua Prælatura. Imponet finem imperio, cum devivas. Negabit Animum, & dormiet; sanè Animum, qui propter id negârat semetipsum. Conspicies illud pulveri restitutum, conversum in vermium alimentum, dedocens honorem ei exhibitum. Contemplaberis merum cadaver, deletam Trojam, evidens dedecus, terminum necessarium pulchritudinis adulterinæ: Aspice, respice, Sit tibi Memoria ipsa Carnifex, Consideratio

Tortrix. Hoc,hoc eſt, illud Anime,ſub quo tu olim: illud cui vixeras. Hoc, illud quod præfeciſti ipſi Rationi. Hoc, quod tibi indicebat leges intemerandas temeraturo æternam.Quid dicis? ſilentium tuum demonſtrat,tete quà tali ſubditum, ſeveriùs dedignari.

Igitur,qui me duce coexiſtebas futuro,& ejus miſerias radicitùs es contemplatus,ad præſentiarum revertaris, & ſic diſponas te,ut evaſeris illas.Quî?libenter ſuperaddam.

Liberalis-divinitùs ex nihilo Deus condidit univerſa: reliquùm ut ſervirent.Produxit te ultimum,ſed cui ſervirent: Vt quid?ut in omnibus ſervires ſibi.Cujus utilitas?non Dei,qui bonorum non eget.Non rerum,nam hæ ſunt quę utiles,non verò quibus. Tui unius reſpexit utilitatem Conditor in Mundialis Amphitheatri productione.In omnibus Authori ſervi,ſi non propter ſe, ſaltim propter lucrum; Omnia lucraris, ſi Vni ipſi : ſin, perdis univerſa.

Surdeſcis ultrò;ſinthoma maximum, verum immedicabile, ni ipſemet remedium adhibueris.Eſt vetus iſte morbus,ſi ſemper meritus,cur non tandèm emeritus?Eras ſpontè Cœcus,ſurdus,ab ipsâ Mundi conditione. Obturabas aurem ; loquebatur Dominus, & dedignabaris obaudire. Legat is univerſalem Cataclyſmum,& vix libuit audire ſtrepitum multum aquarum. Confuſiones labiorum legat non obaudienti in Babyloniâ, delegat ignem ſurdeſcentibus Sodomis;& diebus ſingulis morbos, pericula,diſcrimina,bella,famem,peſtem,fulmina; quibus? non obaudientibus.Quid rarius?Videns quod nec ipſum, nec obaudires Prodeos,decrevit litteras tibi Deus mittere, ut legere non gravareris

reris; quod obaudire recusaras. Rara res! Proprio digito in monte-Synâ scripsit tibi, & litteras tradidit Moysi Divino Tabellario. Sed nec has legis, aut si legis non diligis, & si non diligis, non benè legis. Non unam Lectionem indixit Deus, sed Dilectionem. praecepit tibi ignavo. An non ignavia expectare prçceptum Charitatis, qui debueras ante id, etiam Amare Deum ex Gratitudine? Quod si nec post praeceptum ames, amens es potiùs quam negligens; ignarus, quam ignavus.

Considerandа contemplaris, fateor: vera consideras, haud abnegem: cœterùm non ut debes. Praemissae petunt consequentem Humilitatem tu contra Moralis Logiae regulas, ex iis superbiam. Ingenium vitę simile. Semper es infans, semper puer, semper adolescis, & semper insanis ut decrepitus. Nec diffidet dives à paupêre. Fortè in mediis est aliqualis differentia, sed utrique origo eadem; & ipse finis. Nudus natus fuit Irus, sed nec Crœsus ornatus: etiam illi defuncto erunt superfluae vestes. quoniam tunc temporis egebit nullis.

Nati sunt Principes: nati & ignobiliores. Hi reliquorum pabulum? minimè: quid ergo? solicitudo, cura. O si hanc theoriam concepissent Ditiores; non parturirent equuleos pauperi, atque Cruces egeno. Condere Vrbem Monarcha debet non condîre; sit fundamentalis lapis conditae, nuspiam lupus condîtae. Sed quid vociferor? nec dicam sine lachrymis, quod nec dicere timeo: Vix Princeps reperitur, qui suos non edat. Si hoc tanta veritas, eccur non timeam dicere? breviter satisfacio. Non licuit olim proferre Veritatem, praecipuè in re Politicâ; hanc enim aegrè audiebant Monarchae, veridicos persecuturi. Licet iam impunè Veracitatem

profiteri;Cur? Magnates jam ſurdeſcunt ultrò;idcircò nihil contra veraces, quoniam nec audiunt unum.

Crede igitur magnas quicumque,te non meliorem eſſe miſero:non à meliori Matre natus:ſed ſub eodem originali crimine, & cum diſcrimine majori.Securior te fuit pauper nondum natus in ventre robuſtioris.Tua delicatis aſſueta geniis, quotiens te expoſuit periculo ſummo, ut non eſſes? Quoties favilla moleſte fumans, quoties lætitia repentina, inopinatus dolor, motus non ſolitus; & quod ſine irriſu vix dicam,ſine riſu vix audias, quoties muris metus,aut herbulæ ambitio, aut floſculi vilis deſiderium, abortum properum ſolicitarunt?

Incipe igitùr jam tandem dediſcere veteres errores. Antiquum exue Hominem:indue alterum, ſed hunc doctiorem. Diſce te; aſſequere propriam cognitionem;ſemel aſſecutam conſerva certiſſimam ſententiam.Scias ſine oppoſiti formidine,te natum eſſe, ut moriaris;moriturum,ut vivas. Vivis moriens, vivens ſemper devivis.Dum corporeè vivis agis Animam ſepultam in Corpore:cum moreris,hæc ipſa reſurgit ex ſepulchro. Age cauſam Animæ non Corporis.illa habet vitam propriam,hoc mutuam.Ab hoc Conditor repetet datam, Illi æternùm permittet; æternæ etenim æternam dedit.Eſt fragile,ut apparet? immò plus quam apparet.Nunc præſefert dedecus,ſed poſteà majus.

Tua intereſt gubernare Appetitum, & indicere regulas, queis iſte ſenſum.Hoc tibi obligationi, cętera omnia alienæ; ſi fortè non alienæ,ſaltim non tuæ. ſummè-benefico ne te exhibeas ingratum.Rationem redditurus vitæ, eris ipſi gratiſſimus ſi reddas bonam:reddes bonam,cum bonæ.Manet te æternitas vel infœlix,

vel prospera. siquidem post Mortem optioni locus nullus; gratare tibi superstiti, quod habeas plurimum; & agé bonam vitam, Animam acturus iudicandam. Non unus qui loquor, subscribo Veritati. Hanc ignorârat superstes Aristoteles, didicit sed suo damdo: exclàmat ab Styge, cui? nulli alteri nisi, mî, tibi. Audierim, audi. dicit.

PROSOPOPOEIA

Stagirita Redivivus.

QVi ligatus corpori soluté agebat, quid mirum si corpore solutus ligatè agat? Hoc satis petenti, cur Stagirita factus fuerit posthumâ industriâ metroglottus?

Vernanti ætati quorsum grataris? habebis
Occasum, Noctem Sol-Homo, Vita-Dies.
Ille ego Aristoteles, cujus monumenta perennis
Fama loquax celebrat, Mundus uterque legit.
Ecce loquor, Mundumque redux de Morte reviso
Docturus multò doctior: ora tene.
Sol aderam, qui nocti adigor, fuit ultima Vitæ
Mîque dies (qualis crederet?) ante diem.
Cum subit extremæ tristissima lucis imago,
Labitur ex oculis plurima gutta meis.
Labitur (heu!) semper; sed enim subit illa perennis.
Torqueor! haud sævis prævalet unda rogis.

Ambrosiis olim gaudIs dabar; inde fefellit.
Quem? me: Quis fallax? ipse. Quis Actor? ego.
Cum Corpus, cum Artus, cum tot mihi chara reliqui;
Æterni sistor Iudicis ante pedes.
Quid facerem? fuerat ratio præbenda petenti
Temporis (heu!) longi tempore multa brevi.
Quî fugerem, qui nullus eram, dum plurimus ille?
Quid? me tunc mávelim temporis esse nihil!
Quò paßus regerem profugos? erat unus ubique
Sed semper vindex justus, ubique potens.
Appellem? quî, nullus erat si hoc judice major?
Cur, si appellandi nec mihi causa fuit?
Iustitiæ rigor immensus (me!) non tamen illa,
Si rigor immênsus deforet, æqua foret.
Nulla fuit ratio, cum pro ratione voluntas:
Aut saltem saltem debilis illa fuit.
Non secus, est ratio cum de ratione ferenda,
Si qua fuit ratio debilis ipsa fuit.
Lis erat, ast anceps. Iudex justißimus: ille,
Inquam, qui falli, fallere quique nequit.
Iudicii appendix suberat: vel Vita perennis:
Vel Animi ardentis, qui sine fine, dolor.
Iudicor (heu!) justè: intererat mora nulla: volucres
Et pœnis pennas addidit illa dies.
Ignibus extemplò properis addicor. In illis
(Dicere Mens horret) dum Deus adsit, ero.
Non poterit non esse Deus; non eße sceleftus

(*Heu*)

(Heu !) potui, pœnas non dare nemo queo.
Diſce: docere Puer, juvenis, Vir, diſce ſenexque
Alterius damno cautior efficere.
Terrigenam dediſce ſcelus: lachrymiſque ſubortis
Ni extinguas ignem, plurimus ille manet.
Si cor petreſcens nullas ſolvatur in undas,
Iccircò ex oculis manet amara tuis.
Lugeo. ſed ſerò. Luge, ſis, tempore in iſto
Tempus adeſt, nullum poſteà tempus erit.

PARS TERTIA.

Omnia Fortunæ bona.

VANITAS.

AN non Fortunæ bona, Vanitas: si vanitas, ipsa Fortuna? Nec vanè, nec imperite Juvenalis. *Sâtyr.* 10.

Nullum Numen abest, si sit Prudentia: sed te
Nos facimus Fortuna Deam, Cœloque locamus.

Nota: noto. Imperiti sunt teste hoc Satyrico, qui libant Fortunę simulachris, quia iis, quibus inest Prudentia, non deficit aliquod Numen. Infero. Fortunam, non nisi ab imprudentibus, & insciis coli: ideò & Deam fieri, quia ut perstat proverbium ex Nasone.

Qui finxit sacros duro de marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui colit ille facit.

Ergo tunc facimus Fortunam Deam, quando illam colimus: colimus, cùm fortunas optamus.

Esto, detur Fortuna humanarum rerum gubernatrix. Consulor, quid debuisses facere. Perfice Animum, ne divitias multiplices, quia asserente Senecâ (*in Medeâ.*)

Fortuna opes auferre, non animum potest.

Si illi volueris superesse, fortis sis, & ne ignavus subsis ipse fortunis: quoniam eodem teste. (*ibid.*)

Fortuna fortes metuit, ignavos premit.

ACRO-

ACROASIS I.

Interioris Hominis regendi Methodus.

Sors misera, aliquibus est Infortunio, sed multis Magisterio. Ratio-Luna, Voluntas-Sol, Memoria mutua: quibus? Licinii acumen explicatum. Vmbræ proprietas. Modus Deum diligendi. Homo minor Deo.

TEmpus adest; nec hoc aderit iterùm: transit etenim, verum irrevocabile. Adest hercule, cui tamen ministerio? Præficiendæ Rationi, Spoliandæ Memoriæ, regendæ Voluntati. Disce alieno periculo: & qui propria perpessus, disce propriis. Infortunia ne tibi labori fuerint unicè, sed magisterio. Qui adversis rebus eruditur, Fato semper subijcitur Auditor, nullatenùs subditus audit. Misera illorum sors, qui & Rationem perdiderant, & ab Arbitrio perdebantur. Neque duos Μακρὸς, neque duos soles Μικροκόσμος. Si voluntas præsit diei, Mens, opus est, præsideat nocti. Cœca est Voluntas, & ideò dies, cui ipsâ sol fuerit, erit cœcus. Nox, est cœcutiens tenebrosè; & quæ tenebras has non fugaverit, caligini Mens symbolizat. Cares Memoriâ propriâ: quâ recorderis, mutuam impetras à voluntate: idcircò non quod expedit, sed quod complacet, opus est recensere. O verè tyrannis voluntaria; cœca permittitur de coloribus sententiam ferre: & albo-lapillo-condemnare.

Incidi in Licinium Nepotem, inciderat ante Causinus, (*de Eloq.l.2.c.26.pag. mihi* 110. 2.) stupidam sententiam is judicat

quam ego gravem,aptam antiquo,utilem neoterico argumento. Verba Licinii hæc. *Si vultis dignè punire Parrhasium, ipse se pingat.* Ecce dicterium frigidum proponitur;frigidus adsuero Commentator:incendia personuerit nullus. Supplicio digno te excipere volo Parrhasi:facturus quid? solummodò ut ipse te pingas. Exprime dictionis penicillo Mentem amentem,Memoriam immemorem,libertam Libertatem. An tibi dolor major, quam amentiam dissolutam cognoscere; ignobilius dedecus, quam confiteri?

Ipse te pinge assiduæ contemplationis calamo; Exhibe exemplum-Tabulam,meris expressam umbris. Has lito, non tamen colores penicillo,ut ectypon sit adumbratio. Color sæpiusculè mentitur,umbra nec semel.Ille sequitur Artificis ingenium, hæc Protocoli delineat quantitatem.Videbis,velis,nolis (dum sol-veritas nullum luminis deliquium patitur) in hujus solis radiis effrenis tui adumbrationem animi, potentiarum deordinationẽ exprimentem. Pudeat,videre superesse Appetitum,subesse Cognitionem:& ne notemus reliqui, imaginem corrigete festines. Quî umbram diriges?correctione ex dignissimus, si eam ordinare præsumpseris,nondum correcto Prototypo. Corrigere licet umbras,si exorbitent: non tamen sunt in semetipsis dirigibiles, sed merè in Causis:si has rectifices, Vmbræ inflecti non poterunt:dum opaca obliquitatem superinduant, conatu irrito rectitudinem umbris optaveris.Sic Ichnographiæ doctus,tui Animi deordinatam qui respicis obumbrationem; si ut videamus permiseris, tibi es confusioni,qui reliquis aliis scandalo:si studeas correxisse,licet,non tamen multifariam;alias non feceris, qui te-

Proto-

Prototypon non correxisses. (*Consule me inferius Part. 4. Acroasi.2.*)

Doceatur Mens, ut doceat Appetitum. Huic hæc indîcat modum Divini Amoris, quem?diligere Deum sine modo. Exponat Vanitatem, Amentiam, expertes bonitatis; ut is contemptis hujuscemodi quæsitet medicinam præteritis, theriacam ambiat futuris.

Agat Mentis splendor, non agatur. Tu Animantibus quisque nobilior, paulominùs quam Angelus, vel ut Hebræus edisserit, inferior solo Deo. Si tu igitur rerum omnium primas, & creatarum perfectionum fasciculus, miseriis impeteris tantis: an non & illa infeliciora, pro quibus te tibi negasti, concessisti te sibi? an & tu quando similia faceres, te exhibuisti alium, quam miserrimè infortunatissimum?

ACROASIS II.

Ad Virtutem promovet Peccatorem.

Privatio excitat appetitum. Nihil in universo præter Conditorem, & Condita. Nullus damnandus inauditus. Apologia Peccatoris pro semetipso.

SI tuam nondum complacet Amentiam confiteri, saltim videaris cœlitùs-eruditior, Mortalis vitam dilige, æternitatem Temporaneus, Divitias Pauper, Medicum Æger, Quietem Lassus, Inquietus Pacem, Calorem Frigidus, Cœcus Lumen, & Men-

Mente-captus, omnia capientis Mentis verbum. Qui ad nullam adhuc, anhela ad primam veritatem.

In rerum universitate, quas prolixis spaciis extendit, atque distinguit invicem vel Quantitas, vel Operatio, nihil est, nihil concipi poterit, præter Creaturas, illarumque Effectricem causam. Hæc te, hæc universas. Has condidit subditas tibi; te sibi. Ergo illis poteris uti; ad te omnia convertere licebit, si in te illæ, tu in illis, ad Principem-causam feraris.

Audiam iniquus Iudex, si te non audiam. *Sum* (dicis) corporeè-materialis. Desideria quæcumque sensus, sunt subreptitiè-potentissima. Appetitus non ducit, sed vehit: abripit, non allicit. Video hic venustam Pulchritudinem, alibi pulchram venerem, statim concupisco. Video, & invideo Palatia, Opes, egenè miserabilis. Etenim quis Mortalium, cui est Ingenium Virile, potuisset tolerare, illis divitias superesse quas profundant in extruendo mari, & montibus coæquandis, nobis ad necessaria rem defecisse familiarem. Suspicio alios in abside Fortunæ residentes, illos in Lunæ cornibus, plures in apogæo sortis; malæ Avis auspicio, Fati remanens in perigæo. Nempe non possum non invidere reliquis, ille ego, cui omnes condolent, quem majoris fecero, quam universos.

ACRO-

ACROASIS III.

Alexipharmacon contra concupiſcentiam.

Voluntas regit:quos?Homo eſt Horologium Rationale, Mens prima rota. Pulchritudo captivitas. Fœmina Idolon: ſemper inutilis. Amans amens: ipſius diſcrimina. Non interdicenda Matrimonia. Non adorandæ vxores.

DIxiſti,excepi:brevis inſtantiis ſatisfacio Auderem ediſſere re nuſpiam Homines iri rectum à præſumenti Voluntate, ſi Mente non abuterentur. Abuſus Intellectus ſinert tyrannidem irrationalem. Vltimam curioſus artifex Horoſcopo poſuerat manum; Rotæ, materiæ detrimento lucrabantur denticulos, eſluræ atomos, atque trituræ tempus. Frangitur ultima; celerius prima circumfertur. Diruitur prima, & reliquæ deficiente motus origine à pondere libratione fortuitâ agitantur. Verè Horoſcopus Homo. Prima rota, in quâ & principium motus, eſt Ratio; voluntas ultima: Memoria, theſaurus Idearum, intereſt: ſunt facultates ſenſuum appendices. Si hi frangantur, rotæ interiores gyrantur expeditiùs, curſus erit velocior, & mora brevior. Si peccet prima Rota, (Mens ſcilicet) omnes reliquæ inordinato greſſu trepidabunt: nulla erit in Animo, nequa Potentia in corpore, quæ non patiatur motus plurimos irregulares.

Provide iſtius Horologii Rotæ-Principi, apprimè-elaborati. Ne patiaris exorbitet ipſe intellectus; regula eſt enim Potentia-

rum. Si is semel à Lethargo convaleat, queis antè invideras, ipsissimis iis condolebis. Non tibi deficiunt, quæque absunt, sed illa unicè, quæ proficerent tibi præsentia. Contemplaris alienam pulchritudinem à Iuvene dulcè possessam? Abest illa, nec deficit, quę non prodesset. Considera profundiùs, quid lucrari poteris, si illam possideas? Brevissimè lascivum gaudium, cui subsit appendix dolor; præsit pudor; comitetur virium decrementum. Annon videris Gratiarum Idolólatras plurimos, ante diem desideratos esse? sunt festini herculè, ad metam properant gressu tam concitato, ut sæpissimè ad illam ante venerint, quam ad senectam.

Impetra à veritate, clarissima inspicilia, ut adjuves potentiam vacillantem, speculere, obsecro, quid sit fœminea Pulchritudo, cujus violentiâ raperis? Sanè sensuum multa Captivitas, in quâ affectuum cathenis alligatur Reminiscentia, ne alia ideet, intellectus ne transsensualia contempletur. Est illa Oceanus undique procellosus, cui supernatat Appetitus (nec mirum; ex spumâ. Venus) est in summo descrimine Memoria, Mens naufragium passa. Ille Idolon tibi, in cujus arâ lites, si præceps, sanguine oleāta duella; si cautior insomnia, vigilias, curas, timores, metus. Idolon tibi, quod primò supposuit tuum Animum brevi cothurno; post opum tuarum admisit holocaustum: & interim in tuam ruinam triumphans, navat operam ingratitudini, desiderat ut magis ardeat. Cur hoc non adderem? Inutilis quæcumque Mulier. Si decora est ingrata, si indecora non grata. Ergo cum vides Iuvenem per viæ compendium molle, ad terminum vitæ properantem: ne illi invideas fato concessam pulchritudinē, sed condole. Illud misero Idolon tot detrimenta inferet, ut expeditiùs esset nullatenus

nus idololatrâsse. Amans habitat extra se,& ideò est amens: cum se indiget, in se non reperit, quoniam Animus, non ubi informat habitat, sed ubi amat. Non potest non consumi salus, quæ cibus Appetitui, maximè cum iste helluo sit,& intemperans. Habet vitã, semper in periculo, semper in lite, semper in controversiis. Substantiam perdidit, profudit opum quantitatem in ornamentis variis, suam facilitaturis perditionem. Habet in ultimo qualitatem discrimine, nempè honorem expositum mulierculæ fragilitati. Haud non percalleo, aut hîc est compassioni plurimus, nullus invidiæ locus.

Nec videar, velim, interdicere Hominibus legitimas delitias, quas Natura concesserit. Qui hoc facerem potiùs essem Naturę ἀφιλός, quam scientiæ φιλός. Debet Mundus Amori connubiali, quod fuerit habitatus, omnes que quod fuerimus. Non vitupero castum Amorem, qui eis debetur, nam sæpiùs adest, invehor contra Appetitum, qui pendit prodigus indebitum affectum illis.

Videre, vênerari, amare, Natura rerum mater concessit: modum docuere Leges,& præcipuè Christiana. Adorare illas, committere pectoris claves, divitiarum dominium, familiæ regimen, una voluptas consulit, præceptura attamen, cum intellectui superfuerit. Talis est vitiorum efficacia! tanta humana fragilitas! nescio alterutri hoc tribuam: ne me exponam periculo, adscribo utrique.

Carpebam nescio quem patientem sub ingratæ tyrannide. Hoc unicum ferebam ægriùs, videlicet quòd superstitiosè levis illi totam fidem locasset. Obtuli, ait, id, quo illa indigebat. Immò

impoti

impoti Fidei, à nemine fides credenda. Amabas te Mulieri? fuerat profusus Amor! Vel nullam ambias vel consultiùs & cautiùs. Si amare (quod Deus avertat) accidat. Expedit, illam tibi; dedecet diligere te sibi. Si ἀφιλίαν simules, contra illas ne texeris prolixa verba, os enim loquitur ex cordis ubertate, nec poterunt, me Iudice, in linguâ perennare, quæ non in corde.

ACROASIS IV.

Pharmacotheon contra Ambitionem Divitiarum.

Non sunt palatia necessaria. Fidelior casa Pauperi, quam Aula Principi. Pauper securè dormit: se benè præparat ad tumulum. Fidelitas, & Opulentia Antipodes. Honos Onus. Dives opum non Dominus, sed depositarius. Vita infidelis. Cæsar nihil. Cœlum venditur: pretio? Testamenta an prosint? an adimpleantur? Dives non habet Divitias. quas habet. Omnia bona sunt mobilia. Nemo non pauper. Penuria flabellum muscas eliminans assentatrices. Studium Paupertatis soboles. Priuilegium Divitis: aliud Pauperis. Huic major honos. Nusquam ridiculus. Dives illachrymabilis, sæpè non-lachrymandus. Aurum Matricida. Spiritualis infœcunditatis causa.

HÆc satis Appetitui Lascivo eliminando: restat Alexipharmacon contra Ambitionis syntoma. Casam, sive tabernam habitas; Magnates, Potentes, Divites, immò & ii, qui optant videri Principes, in Arcibus, Palatiisque. Invides ideò? idcircò corroderis dolore interno? Quare non rideam? Quid tibi in tabernaculo deficit, quod Dives in Arce possideat? Poterit ille

suo

suo occupare corpore, plus quam tu tuo? minimè. Igitur cui serviunt ministerio, quæ spatia vacant, ab ipsoque non occupantur? & si Diviti, nulli hæc sunt utilitati, verè sunt inutilia, ac perindè nuspiam diligenda. Quereris de tuâ humili casâ: attamen sine iure. Cur ea accusanda venit, quæ tibi concedit quidquid habet, & quidquid sufficit? Tegit, protegit, & fortè meliùs, quam augusta Palatia, defendit te ab hybernâ inclementiâ, ab ęstivâ tyrannide. Totus tegeris, totam occupas: tota subservit tibi, non est ociosa nec ex parte. Contra Palatia, Aulas, Musæa, potuissent querelas evomere Primates: his enim illa solùm ex parte famulantur. Si Geryon redivivus in tribus, si Virbius, Briareus in centenis corporibus ipse habitares, majoribus spatiis indigeres, & ideò condescenderem tibi querenti, quærenti, ambienti spatiosa Gymnasia: verum enimverò, cum in solo corpore habites, atque fortassè non in toto, nullum est penetrale, quod te non capiat, nullum quod te non majus: ne quod, in quo non supersit spacium illinc indè habitandum. Dolori igitur locus est nullus, nec invidiæ est occasio: condolori plurimus, accidit multa compassioni.

Dormis securè-quietus, quando dormitant Divites, Infortunia te omittunt, cum illis nec Natura, nec industria parcit. Ambit materiam ignis, esurit, non tamen tabernacula, sed Capitolia; studet pretiosioribus suam famem alere, domunculasque vilipendit. Non sunt hæ furibus studio, neque custodiæ Dominis. Nulla serâ advenientes eliminant, sed omnes excipiunt peregrinos, & exteros: non pertiment grassantes milites, non enim poterunt noctu invenire, fures, quæ nec Domini interdiù. Omnia contra-

ria Fata pauperi ignoſcunt domicilio : ſi non parcunt, contemnunt,quod eſt perindè.

An devi vens in ſarcophago Aulas habebis, per vias tibi exſpatianti?Futurum eſt,ut per plures annos circumcingaris Feretro, & breviſſimo loco alligeris. Diſce igitur non indigere pluribus, & non erit horribilis hoſpitii brevitas,neceſſariò admittendi,quod ante diem præparat feſtina Parca: Tibi!

Pauper es? igitur & ſecurus.Eſt animi ſecura tranquillitas appendix Paupertatis: condole Divitibus,ſolicitis,ſuſpicantibus, timidis, nulli fidentibus. Vix benè conveniunt fidelitas, & opulentia. Stet per te habeat ille divitias ſummas, plurimas poſſeſſiones,ſupellectilium ornatum maieſtuoſum; auri,& argenti copiam; æris cuſi abundantiam,nec invidebo. Quid iſthæc omnia? Onus intolerabile. Cur addideris pondera, qui adhuc nudus importas temetipſum,& vix ſufficis benè portando? Corpus aggravat animum, ſi fuerit ambitione gravidum, gravabit magis.

Voluiſſem examinare Divitem,utrum cum perierit, tranſſumet omnia?utrum iis omnibus uſurus fuerit poſthumus? Nullatenùs.Illis etenim nec egebit poſt Mortem;nec uti potuiſſet,ſi indigeret.Cur igitur opes cuſtodit,& conſervat? Fortè ut illis fungatur,ſed phraſis energian non intelligo. Aut fungi,eſt lárgiri, ſive divitias retinere : ſi retineas non fungeris; immò es rerum, non Dominus,ſed depoſitarius: ſi dederis, perdis Dominium: igitur quidquid facias,non debes Dominus opum cenſeri; ſed miniſter, & famulus.

Conjungit Avaritia,cum alîus detrimento,quod ſibi nec commodo,

modo, nec utilitati. An non est Ignorantia (est herclè summa) coniungere divitias, hasque credere vitæ infideli? Confide, crede; Largire gazas, adscribe ipsi delitias, opes adnumera; cras defectionem faciet, & remanebis miserabilis sine opibus, & sine Vitâ. An tua alterius ingenii, quam illæ omnes, quæ Imperatores, atque Heroas perlustres fefellerunt. Lege oculis, omnium seu Principem, seu celeberrimum, Iulium illum, cujus extrema ambitio, infimam Mundi sortem, aut supremam, nec intermediam aliquam desideraverit. Consultus, non-consultus ingeminat: Ego aut Cæsar, aut nihil. Modò an Cæsar? nullatenùs; Terrarum Orbis Iunioribus aliis subiicitur; Ergo Iulius ille, si non Cæsar, est nihil. Vbi ergo Provintiarum spolia ditissima, quas subjugavit? Vbi tributorum Myriades, quas dissita regna pendebant? Vbi Palatia, Capitolia, Arces, Musæa, quæ erexerat regione in variâ? Defecit, & omnia cum ipso defecerunt. Heu miserum! Credidit triumphos, pompas, trophæa, spolia, admirationem, famam, soli vitæ: hæc fuit aliis omnibus similis, hoc est, mendax: spem fefellit; violavit fidem; irrevocabilis effugit, & sufurata fuit hæc universa, omnia transtulit secum. Iacet ubique Iulius, quoniam iam pauper. Æternùm-æger salute indiget: prostrat hæc, sed emẽda. Quis crederet? Qui olim ditissimus, Iulius illã non emet! quare? quia caret pretio.

Æterna vita venditur deviventibus; non enim est prodiga Dei Providentia; datur grátis, non gratîs. Impensis indiges illam empturus, nec gratus eris, si non habeas. Cur?

——— *Emitur sola virtute Potestas.* Claud.

Divitias absconde in sinu pauperis, posthumus adinvenies. Si has inibi habeas, eris charitate ditissimus, Cœlum tibi dabitur Diviti

Emptori: sin negabitur Pauperi. Conde igitur, quas æternùm possideas: ne posside propter quas æternùm condemneris.

Nihil prodest defuncto necessaria divitiarum legatio; prodesset voluntaria: vix talis aliqua, sin ante mortem. Cum legas substantias moribundus, non contemnis divitias, sed facis avaræ fidei quamdam protestationem: est etenim ipsum legare, genus jactantiæ, atque confessio divitiarum. Cur non potiùs has relinquis divitias? quoniam contemnis nondùm, immò in ultimo anhelitu maximi facis.

Cerne tua fata posthuma, & qui minùs possis disce aliorum exemplo. Quæ voluntas hùc ultima vidit executionem? Quot hodiè sumptuosissima sepulchra occurrunt, ab Incolis, dum superessent, lachrymosè divite materiâ erecta, in quibus Hæredes nec obitùs diem addiderunt. Plura non sine admiratione vidi, sed cum maximâ illud N. Leodiensis Episcopi, qui posteris Palatium & sibi sarcophagum ædificavit, cujus Epithaphio (ut sæpe fit, ante Mortem descripto) nullus curavit exprimi, nec mensem, nec annum quo devixerit ille. Disce igitur, docere moriture. Hæres tibi vix solvet honorem ab usu publico institutum; post? gratulabitur Morti; quia tuus interitus, ipsi erit introitus ad tuas divitias. Irrident tibi congerenti misere, prodigè-profusuri. Verè impius es, si velis superesse tibi, quæ desunt aliis. Iniustitia (sed à Deo juste judicanda) habere otiosa domi victualia, supellectilia, vestes, quibus possent ali, atque foveri famelici, pauperes, nudi.

Egerunt vitam divitem Parentes tui? ob id gloriaris? an non pauperem egerunt Animam. & omnia tibi reliquerunt? Es dives ideò? Sanè nondum is es; habes attamen unde esse possis, si benè

expen-

expendas. Si habeas divitias quas non impendas, habes quasi nullas haberes: siquidem illę sunt tibi molestæ curæ, solicitudini perenni, utilitati nulli. Si eas impendis, post non habes. Ergo divitias congeris, non possessurus.

Dicis te habere proles, & ambire eis opes abundantissimas, ut non indigeant alio. Esto, labores, ut tui Filii ditescant; sudent hi, ut tui nepotes nobilitentur abundantiùs; hi verò ut sui. Quo hæc perveniet ambitio? Alii aliis relinquunt divitias, at universas relinquunt hìc, & universi.

Qui firma, & stabilia illa dicerem bona, quæ tu mobilia? cur non mobilia & ipsa, quæ vocas radicalia? Radices, Domus, Regna, Provintiæ, nemini sunt bona stabilia, ad successionem pertinent, & alternant Dominos; prout placet sorti. Habes hodiè fundum, & magni facis, à quo nihili fis: scit te esse viatorem, ac debere discedere, & sic expectat novum Dominum, & te contemnit. Quis te generosum edisseret, qui amas contemptus, colis parvifactus, atque te credis infideli?

Es Pauper? Fortunæ gratulaberis quod non dederit tibi fortunas.

Solamen misero est socios habere Penates.

Illi Prodei Reipublicæ, Magnates universi, quicumque Principes, Cęsarei Imperatores, ac supremi Monarchæ, omnes sunt pauperes. In hoc solummodo discriminamini; quod illi & egeni sint, & nolint tales apparere. In eo ipsis fœlicior; quod egestas tua, larvâ non indiget, ut opulenta videatur: in hoc illis beatior, quod non naves operam fictioni, & mendacio, quod est operosum texere, & vix possibile dissimulare.

Cur non magni faceres, quæ liberabit te à grassantibus Adulatoribus? Divites non audiunt Veritates, quoniam istæ non gratæ: Pauperibus quicumque ingrata dicit; ergo & vera: Feliciores igitur egeni sunt Principibus, cum videant res ut sunt in se, quarum speculatio non conceditur visui Magnatum. Hi nuspiam sunt suorum Domini sensuum, Assentator regit auditum dispoticâ jurisdictione. Explicat venienti adulationi; claudit correctioni, advertentiæ, notitiæ, Veritati. An hac miseria aliqua major?

Assequutus es Scientias, Artes: illas debes studio. Id? Paupertati. Quia, Egenum decebat prævidere quid diceres, immò quî diceres; indigna etenim verba, si à Paupere, sunt bis indigna, atque tolerat nequis. Sit Diviti à Fortunâ concessum Privilegium, ne quis ei contradicat, ne quis vituperet, aut carpat: non illud ei invideo, quod infert necessariâ illatione Ignorantiam; non enim potest discere, qui nequit corrigi.

Nec caret Paupertas privilegiis. utitur illustrissimis, nullus, qui possit revocare. Vnum edissero. Vide subjectas divitias Legum Oceano, & præceptorum confusioni: Quæ non desudant Academiæ in Legibus his explicandis? Plena sunt volumina justitiâ, & jure: (utinam & Iudices non vacui) ut quid tantus institutionum apparatus? tantus conventus Consultorum? ut de diuitiis disponatur. Heu miseras, quæ à tot Libris, à tot Legibus, à tam perplexo jure, à tot hominum sententiâ pendent! Fœlicem Paupertatem, quæ nec Legibus subderis, nec volumina imples, nec consumis studia, nec Mortalium animos inquietas. Necessitas Paupertas est: & ex Parœmiâ, Caret Lege Necessitas, quia justo non est Lex posita, & ipsa est justa.

Gra-

Gratare, si sis, Inopiæ. Ipsa una in causâ, ut honos tibi exhibitus, ipse sit major: Libabitur is, nō opibus, verùm virtuti. Divites onerantur maximè, quando honorantur, honoremque recipiunt nullum. Ratio? omnes credimus applausum auro fieri, nec fallimur: ipsi tamen remanent in obligatione rependendi.

Gratare iterùm absentię divitiarum. Non Fortunæ subderis, cui non fortunæ. Iter agens nullas insidias pertimes, qui à Latronibus ipse timeris. Quem ipsi non impetunt, quà trophæum, fugiunt quà testem, ne spoliandis aliis persstet impedimentum.

Eclipsis splendoris Politici, deliquium facultatum ridiculum efficit virum: ita nescio quis sapiens. Hoc est ne verum? non ridiculos Paupertas homines, sed inepta Opinio, quam habent homines de Paupertate. Esto; faciat ridiculos, an ideò nobilior opulentia? si illa ridiculos, lachrymabiles hæc ipsa facit: Hoc rarum! Quæ hos illachrymaturos, nuspiam effecerit illachrymandos. Dignissimus lachrymis est status Divitum, quibus penduntur nullæ, in causâ est Aurum. Hoc Divitem efficit miserum, dignissimum commiseratione: hoc ipsissimum emungit oculos hæredis illachrymaturi. Hujus igitur gratiâ, est devivens miser, hæres non miserescens.

Nec miror crudele sit Domino, quod impium Matri. Aurum (Chymicis fides danda, & Historicis) est Terræ soboles, & ut præsumunt multi, Primogenita. Tanti hoc Mater, ut in corde condiderit, ne pateretur detrimentum; sed tanto Matrem odio ipsum Aurum persequitur, ut expoliet arborum viridante cœsarie, herbarum ornamentis; pomorum fructu, segetum lætitiâ,

fontium

fontium risu, atque armentorum pascuis. Tandèm quidquid in Matre-Terrâ est vitale, seu végetum extinguit. Cur igitur incautus vitam confidis Matricidæ? Erit erga te idem, qui erga Matrem. Exspoliabit tuum Animum vitali quovis ornamento, nihil in eo vegetum, nîl in eo vivens; & si quid fortè, potiùs sensibile, quam rationale.

Indoctior te sum, si Avari ingenium calleas. Vt Aurum possideat, aurum sepultum in telluris præcordiis quæsitat iterùm sepulturus. Legis apud Horatium l. 1. Epist. ad Mecæn.

Vilius argentum est Auro, virtutibus Aurum.

Et apud Ovvenum.

Omnia cum pereant, est Virtus sola perennis.
Hæc immortales reddere sola potest.

Auro, ergo & Argento, contemptis, quoniam vilibus, serenissimum virtutis splendorem assequere, quem beantem tu efficere, qui te unus beatitudine donare potest.

ACROASIS V.

Contra Ambitionem honorum forensium medicina.

Fugiendum esse dignitates. Homo cum maximè præfici ambit, magis subficitur. Ambitio illimitata, quãdo? Iudex Carnifex; qui? Flagellum: quando? Herodes redivivus: quare? publicus Latro: ubi? Tribunalia an superflua? Iudex præficitur cordato nemini. Illius charactericon, qui fuerit adæquatè justus.

EST honoris Ambitio,generosa:ac Principibus digna?ut singularitatis vitium fugias,studes Dignitates, quas ambiunt reliqui ?Docuit in Amphit. ambiendi modum Plautus. *Dixit:*

Virtute ambire oportet,non fautoribus.
Sat habet fautorum.semper qui benè facit.

Vtinam subscribant universi.Sat habet fautorum : quis? non herculè qui bene facit,sed qui semper.Legi in Tobiâ sup.S. quorum dulces Octavius Mirandula suis adjunxit Floribus.

Sola mori nescit eclipsis nescia Virtus.

Quæ?illa equidem,cui æternus candor,quæ non solùm benè fecit,sed semper.Si hanc regulam idées, ambi charismata meliora.Dirigêris à Plauto,qui & à Paulo. Si rarò aut nusquam benè feceris,&talis ambias,vitupero. Vel doceat Quem(inquam)conceptum mente efformas cum Animo Virtutem eliminas,& Spiritu præcipite cogitas in hanc vel illam dignitatem ? Iam scio. Optimum est(inquis)constitui in apogæo Fortunæ, præponi reliquis,jubere aliis;indigere non aliquo ; esse eum, quo indigeant universi;posse facere quæcumque libeat,& tandem perfrui Mundo,& ejus delitias experiri.

Antequam hoc crederes,Ignorantia tuam firmissimis aggeribus Mentem undequaquè obsidebat;cum diceres, jam expugnaverat.Vt conjector, in re superest nihil vincendum.

Ambis:quid? suffici necui: universis & præfici. Vt consequaris?Quam primùm sufficeris publico officio,subderis dignitati. Aut quid aliud Præpositus,quam officii mancipium? quid insignia aliud,quam servitutis characteres?Concédere contemplationi.Men-

ni.Mentis abortus intuêre,quibus damnandis solùm deficit,quod à te,non tamen quà in te,considerentur. Apta media exponis, & illativa finis! Intentum erat omnibus superesse;ut obtineas,te addícis miseræ servituti:famulus subservis ambitioni,& mancipium superbiæ. Irridêres equidem si talia facerem; cur non liceat, cum isthæc facis,ut universi irrideant? An in te, omnibus est imitationi,quod in alio esset vitio? Hæc judicij confusio nascitur ex amore proprio,quem non exuimus.

Vt audio,mihi contra te faves. *Est* (inquis) aliis jubere fælicissimum,subesse intolerabile. Esto:sit nobis principium per se notum solum esse beatum,qui præficitur;miserum, qui subponitur. Si hoc verum,quî permittis Animam subesse passionibus, atque subijci viciis? Sis ergo absolutissimus: Si sit possibile subsistas nemini; sed nec hoc licet. Ergo subsis meliori. Cui? non Vitio, sed Virtuti. Huic servire, est regnare: sub illo conregnare,est servire.

Ambis tibi infinitus: quia nullus tuæ effræni voluntati terminus. Quid? etiam & infinitum, quoniam nihil non ambis. Si omnibus indiges, sanè es omnium miserrimus; si ambis, quibus non eges es אביון hoc est,simul & cupidus,& pauper.

Esto uoluntas tua sit aliis Lex. Subsistant tibi qualescumque, disponas absolutè non omnia modò,sed de omnibus. Subsumpsero. Aut æqua,aut indicis iniqua. Si æqua; fecisti quod debebas, væ tibi ni fecisses;ut quid igitur gloriaris vanè? Si iniqua: es peccanti in causa inobedienti in occasione. Si injusta imperes,& subditos cogas ad obedientiam;ipsi sunt Martyres,ipsis tu Carnifex: te æternum-misero,illos præparas lumini cœlitùs-glorioso.

Est

Eſt aliis ſupereſſe dignitas,ſed Fortunę. Non diſſides ſpecie à ſubditis,nec tua geneſis diverſa ab aliis. Tua obtinuit ne vita privilegia aliqua particularia à Naturâ Principe,ſeu à Naturæ Principe?Fruſtrà quæſieris,quæ nuſpiam adinvenies. Igitur, ſi cœli permiſſione indignus es promotus ad ſtatum illuſtrem, haud ambigo,elegit te Fortuna,non quà exemplar,ſed quà flagellum ſubditorum.

Dicebas olim (eſt opus ut nihil remaneat inconcuſſum,) eſſe decorè-Majeſtuoſum,habere ſummum jus,ultimæque ferendæ ſententię authoritatem;abſolutæ eſt appendix,fateor,tollere illos de medio, vel meliùs,de illis medium,qui nigro calculo coguntur, mortem inviſere, antequàm inviſantur,& ad finem pertingere, quin tranſirent,per naturalia vitæ media. Hoc obtines? Es ergo Mortifer;& ſi hinc tibi Dignitatis ſplendor, à pharmaco, à veneno,ab herbis,à febri,à fulmine,in Dignitate ſuperaris, hæc etenim mortifera ſunt magis. Addo:Sioccidere eſſet decus, eſſet dedecus Hominem.Ratio? quia is óccidit, potiùs quam occiditur.Ipſius ruina à ſuâ magis fragilitate oritur, quam ab aliorum viribus.

Condemnas Innocentem capite, an non & Herodes plurimos Innocentes? Non niſi nocentem condemnaſti! & quid feciſti novi? quid rari?jam olim condemnaverat eum capite Natura,univerſorum Mater.Nondum natus incipiebat plecti:In genethliâ fuit ratum omnibus eſſe Mortalem. Sanè condemnas eum capite,qui nec poterat Mortem effugere,quamvis non condemnares.

Defectionem efficis à Criminalibus,qui in illis rarò ſine crimine.

ne. Sedes Iudex Politicus, atque condemnas Pauperem: aut justè aut non. Si juste; non gratabitur Collitigator-Victor, quod ei dedisti quod ſuum erat, non quod tuum, & ideò tibi nihil debet. Si injustè; in quo diſſident judicis, atque Latronis miniſteria? in hoc, ut reor, quod ille clanculò furetur ſibi, tu publicè fureris aliis.

Eſt honori eſſe rectum, ſed Apoſtolo teſte, rectus Iudex non excuſat ſe, quando condemnat alios; immò cum non rari caſus ſint ſimiles, propria ſe ſententiâ condemnat.

Magni facis Prætor, Iudex, Senator Dignitatem! Vis cognoſcere, quanti facienda? quantum utilis? quantum in Publicâ-re neceſſaria? Ediſſeram. Si Reſpublica valeat, eſt officium inutile; conducit ſolùm quando illa infirmetur. Aut dicito. Si inter Principes pax, inter Cives concordia, ſi ſit inter vicinos amicitia; annon ſuperflua eſt tota Civilis praxis? ſuperfluum Iudicum commune Miniſterium?

In Vrbibus opulentioribus ſunt domus adſcriptæ delirantibus coërcendis inibi quouſque recipiſcant: ipſos minùs-modeſtè agentes condemnat, mulctat, flagellatque, neſcio quis Prǽſes, quem nemo magni faceret. An, ſi benè expendas, diſſides ab Alogomaſtige? Tuo imperio ſubditur, non niſi irrationalis, nemo qui non deliret. Cordati non ſunt tribunalibus occupationi, ſoli illorum interſunt leves, & litigioſi.

Dicis, hæc bonis favere, fovere iuſtos, atque innocentes propugnare. Ad quæ ego. Tribunalia defendunt eos, qui ex parte ſancti, non qui ex toto. Qui adæquatè ſunt juſti, nemini ſunt occaſioni, ut citentur; nemini ut appellentur publicè. Quod ſi contingat

tingat accusari, salva res est, non consumitur in probatione tempus, nec in causæ fabulâ, quare? quia neque se excusant accusati. Christum suspice, quin immò suscipe. Sistitur huic, illi, tribunali, appellatur, accusatur, damnatur, hocque supplicio ultimo, & quasi agnellus non aperuit os suum. Confundit eloquente silentio Senatores; stupent Iudices, ille autem præeligit mori extra controversiam, quam vivere in litibus, & in iudicio. Docuit nos anteponendam esse inquietæ vitę; quietam, quamlibet Mortem.

ACROASIS VI.

Aulicismi Ambitio condemnata.

Privati Principum sæpiùs cum dedecore pereunt. Nullus illorum hoste caruit. Patiuntur in discrimine magno. Nequeunt fugere murmurationem. Multifariam peccant. Colitur ipsorum authoritas semper, nusquam ipsi. Contemnendus nemo. Simile statuæ. Simile equi. An alicui gloriosa aliena virtus? Germana beatitudo.

TE fœlicissimé-divitem judicas, quod sis Dominus Regiæ voluntatis; & arbitrium ipsius, ut tibi lubeat, modereris! Talis, qualem te pingis? Esto: an ideò fœlix? Aperi, aperi oculos. Ambitio somnum infert, & illos claudit. Respice, speculare illorum fines, qui in hoc regno, qui in aliis, præfuerunt Majestati: quis illorum, qui fælix occubuerit? Omnes tibi doctrinæ, ut Principum Arbitrio servias, & imperare non præsumas. Exitus acta probat, dicit communis Parœmía, ergo illorum erant

acta mala, quæ sequutus est non bonus finis.

Quod primum oportet supponere, certum, & ratum; sit, in tali fastigio non esse posse sine multis, iisque molestis inimicis. Nec sufficit te justum esse: bonos enim odio persequuntur mali, sicut & malos boni: ideò si æquus sis, eris odiosus sceleratis; si iniquus bene-moratis viris. Cæterùm illi, quibus es gratus, non te diligunt, sed in te Principem, & in hoc suam utilitatem. Colligo? quia cum vel ille moritur; vel hæc cessaverit, statim te nihili faciunt.

Secundò prævidere oportet te in illâ fœlicitate, quam vocas summam, esse expositum discrimini jacturæ maximæ, *Luna* etenim es in Plenilunio, & hæc nuspiàm deliquium patitur, nisi cum fuerit plena. Non cadit nisi elatus; cumque Fortuna sit inconstans, quid poteris in alto constitutus sperare, nisi lapsum solummodò? is verò eò periculosior, quò fuerit de culmine editiore.

Summè es infœlix in tuis expeditionibus. Si tuis provides rebus, audis cupidus; si alienis, Adulator. Si tua conservas, Avarus; si largire, audis Prodigus: si es beneficus Pauperi, censeris Hypocrita; si de illo non curaveris, summè-crudelis. Si sis modestus, ambis; sin judicatis, dissolutus. Si præficis officio dignum, remanet sine obligatione rependendi: dicit accepisse sua, non tua, illud enim debatur suis meritis; & tu solvisti, non mutuasti. Si indigno, simul peccas, quì? non nisi contra quatuor. Primò, adversus Deum quia contra Rationem peragis, & contra Leges. Secundò, contra electum, quia ipsi imponis jugum intolerabile, cui succumbere oportet. Tertiò, contra dignitatem, cui ineptum præficis. Tandem, tuum honorem lædis, & tibi sis injurius: non enim

exorbi-

exorbitantiæ fieri possunt, & integritatis opinio conservari.

Septus multiplice phalange, cum strepitu, & pompâ plateâs fatigas, atque Palatii aulas. Hi iidem, qui distractionem tuam animant, & vanitatem alunt tuam mendace adulatione, qui tuum favorem emunt assentatione; non te, sed Dignitatem, adorant officium, non Personam! Omnis illa Reverentia politice-superstitiosa, quam pendunt candidati, in tuis vestibus remanet, in tuo officio, non transit ad suppositum. Aut si hodie dubites, cràs non sine proprio damno experieris. Fortuna non est una semper. Crastinâ die privaberis hac dignitate, & sufficietur alter. Ille te exspoliabit, non solùm ministerio, sed & adulatoribus; tunc verè cognosces, illos non tibi, sed in te honorem dedisse Dignitati, quam etiam in alio venerabuntur Heliotropici.

Cum extulerit te Principis amicitia, ne fias elatus, necquem contempseris, licet carentem splendore. Si sol audias Reipublicæ, time deliquium lucis: sol non nisi à Lunâ ingloriâ, dedecorâ, & radiis carente, eclipsin patitur.

An non videris statuam parvulam in maximâ basi insidentem? quid? haud fallor, aut condemnaveris Artificem, quod non servârit proportionem; & posteà statuam minorem credes, quam sit; quia inæqualia comparata invicem magis, ut dicitur, videntur inæqualia. Ergo quis alius tu, quam statua - Homo quantitatis, & qualitatis minimæ, superpositus basi, sive quod idem est, Officio magno; Non ideò major eris, sed videberis minor.

Phaleris pretiosissimis, auratis habenis, & ornamentis sericis dives sese conspicit Zephirus Ibere-generosus, & sonitu quadru-

pedante

pedante fatigat multam sylvam, ut illustrior audiat, ut strepitum audiat argenti. Quid is magis desiderat? requiem, nempè à pondere illo pretiosè-molesto liberari. Mavult exonerari, quam affici plurimâ laude. Malis exonerari.

Superbescis, quia alius sese subjicit tibi! Annon alius id fecerit, quia vel humilis, vel adulator? Si primus: qui? virtus aliena est tibi vanæ-gloriæ? si secundus; an non scis, quod desiderat solùm te fallere, quamvis non sôlum; & idéo explodit Hypocrisin contra illam tuam improvidam Præsumptionem?

Fuge igitur Fortunæ quosque titulos; quibus si non sufficias; quia non sufficis; si sufficis, ut nativum adipiscaris splendorem: est etenim una & vera fœlicitas habere? non: quid igitur? videri dignissimum fœlicitate.

ACROASIS VII.

Contra Iræ furorem præcipitem remedium salutare.

Homo ultrò est miser, Quæcumque provocatio inutilis. Invitus afficitur injuria nemo. Excusationes excusandæ. Vera vindicta licet: quæ hæc? Inimici sæpiùs sunt benefici. Qui sint verè inimici? Vitæ speculum: quale?

HOmo Creaturarum terrestrium fœlicissima, te miseram reddis, quoniam vis, voluntas unica in motivo, ipsissima voluntats in causâ. Tibi uni, tuæ phantasiæ, tuæ apprehensioni angores, dolores, atque infortunia debes: tu contra tuam quietem, atque pacem solus inveheris, præterea nemo: Facilis es ad

ad iram,ad Clementiam difficilis,qui debuisses,ad istam esse totus, ad aliam nullus.

Carpit te præsentem ille,& ægrè ferens ingeminas fuisse exhibitam irreverentiam.Vt medearis damno,urgentem provocas, & te exponis periculo,ne ille non exponatur. Doceri velim: quò Animum veteri quieti restituas, expectabo:pòst peto. Quale illud,quod accepisti graviter:verum,an falsum?Si verum: irascaris tibi,qui feceris;tibi,inquam,qui fuisti in causâ,ut carpereris: grateris illi,qui te corripiens exercuit actionem Charitatis.Iam audio. Vera sunt,ais,quę retulit,illi attamen non benevolus Animus,sed malitiosus;non corripiendi intentio,sed exprobrandi. Attentione tuâ egeo.Vnde nosti cordis abscondita, quæ non Angelo, non Dæmoni,non Homini,sed patent uni Deo?vel demus altè fueris aliorum corda perscrutatus:illius voluntas sit te opprobriis,atque injuriâ persequi.Potes,si vis,non affici:invitus etenim afficitur iniuriâ nemo. Qualis ergo hæc superstitio est, ut voluntati subjaceas inimici?Ne igitur irascaris,ut te vindices ab antagonistâ,qui te furori imprecabatur. Si patiens sis, ecce irrita fit Dissymboli voluntas semel:Si te ad meliorem frugem recipias, iterùm fit hæc irrita;ille etenim neutrum desiderabat. Si furis, jam intentum habuit;ipse contra te superest, tu etenim tibi proximior, ipsius imperio obsequens,tui animi quietem internam expugnasti.

Exprobranti,quod nuspiam feceris; cur velis satisfacere,percalleo nondum.Scientia ne actualis actuali coexistit opinioni?Non facies, ut te innocentem credat ille, qui scit te innoxium esse: ideò mendaci ęmulo nulla est præbenda satisfactio.Aliis qui poteris?tu te commendas,condemnaris ab altero: vilescit laus in ore

M pro-

proprio,ſed accuſatio viteſcit in alieno.

Apellas ex verbis ad verbera. An ſufficiet lingula, quibus non lingua? Si benè contempleris, hæc te non vindicabit; illa te faciet expertum diſcriminis, non verò injuriæ expertem. Macte animo: Me duce te ab inimico vindices; qui? cum bonus, perſeveres; cum malus, palinodiam cantes.

Nihil non ſubjaceat examini. Te præſentem vituperat ille, & vocas audacem, inſolentem: te abſentem alius, & ipſum incuſas proditorem. Quis te intelliget? Vni igitur adulationi ſtudes: & nullatenus vis ſubjacere correptioni. Abſens pręſens, liber à directore eſſe deſideras: & ſemper laboras nimietatę, ne alii in inſtructione tuâ laborent.

Inveheris contra inimicos, cur illos hoſtes concipis, quos beneficos ſæpiuſculè experiris? Habet occaſionem, ut ſit ſanctior; curam, ut meliùs vivat: plures Magiſtros, ut altiùs inſtruatur; ille unicus, qui habuerit plures inimicos. Æmuli curam excitant, mentem acuunt, defæcant oculos, indicunt advertentias, ne quidpiam fiat, quod poſſint ii vituperare. Non ſine acumine vermibu. Zoilum compares, quia is, illi, nutriuntur rebus putridis; nec veſci, nec ali poſſunt ſanis. Cautus, cum didiceris ab Inimicis; eris veræ virtutis ſtudioſus, cùm quibuſcumque copiam feceris, loquendi liberè, & ſuam cenſuram explicandi.

Dum Cenſor vigilet, vigilabis cenſendus, nec in te cuipiam vitio licebit dormitare: tuus donabitur intellectus ſalute, atque Voluntas medicinâ. Plus debent omnes nemini, quam Repræhenſioni. Ille prefectus unicè, qui non ſolùm hanc audit, ſed & gratulatur Repræhendenti. Sine inimicitiâ Reprehenſionem ſæpiſſimè:

mè: Inimicitiam non videro sine Reprehensione. Si Reprehensioni tantum: quid igitur non debes Inimicis, qui illius sunt causæ solertissimæ?

Verè, liceret quamlibet Amicos prosequi, & inimicos persequi, neutrum debitò efficeres; qui non internoscis amicos, inimicos: ut reor, hos fers oculis, ac persequeris alios; sed nec hoc vides. Sit lux caligantibus oculis veritas expendenda.

Cordi tuo adnumeras, & pectoris credis penetralia, cui? illi hercule; qui tibi mutuat aurum lusuro, in pellicis domum individuâ concomitatur assistentiâ; qui tibi delitias providet, fugat incommoda & tuæ totus insudat voluptati. Istum cognoscis consiliarium, hunc sanè unicum, quia juxta Politicorum dogma: sit amicus multiplex, dummodo sit consiliarius simplex. Amicitiæ titulo reddis insignes comessatores tuos, qui te invitant ad luxum, & veneres crebro propinant. Illos, inquam, qui te absentem inique propugnant; quique iniquiùs, cum præsens fueris, adulantur. Clamas incendia in hyeme: & quereris. Inveheris contra inimicos, Zoilos, Æmulos, Hostes: tales in opinione tuâ, illi omnes, qui tuę non serviunt distractioni, sed sunt impedimento vitiis, & navant operam tuæ correptioni. Erras equidem, & cœlo toto. Illi ex diametro tibi opponuntur: horum semper experiris aspectum salutarem. Hi te diligunt quà Rationalem, & odio corpus habent, ut animam Deo lucri faciant, adque cœlum promoveant. Quà corporeum te diligebant illi, qui Appetitui delicias indicebant, & bonæ jeiunium voluntati. Adamabant tuam animam corpori, istud delitiis, ut hæc, hoc, illę, deordinata, solutum, inter-

dictæ, te tandem ducerent ad Gehennam, germanum voluptatum terminum.

Habet pulchella juvenis tria ſpecula, artis induſtriâ abſolutiſſima. Primum eſt mendax, & ipſam exprimit ſemper venuſtiſſimam, hoc eſt, elegantiorem Venere. Secundum verax eſt, ſed ſecundum, nempe propicium, favorabile: Adoleſcentis ſolas delineat perfectiones, imperfectiones intermittit. Comarum inconcinnitatem, imperfectioneſque colorum obtutui repræſentat tertium. Studet pulchritudini, decôri, ornatui: te ergo judice, quo vitro utetur? Primum ipſi non conſules, quoniam id perniciosum; ſecundum, quia eſt inutile; unicè remanet tertium, quo poſſit defectus cognoſcere, & cognitis ipſa mederi. Quod ſi contempto ultimo, ipſa primo aut altero uteretur, dicerem? Chriſtallum adulatricem quærere, non veracem: velle recreare oculos, nolle corrigere defectus. Ergo diſcas eligere ſpeculum, vitam reformaturus: Id erit tibi homo, quicumque: ſi amicus adulabitur, & aut mala laudabit, vel ſaltim ſupprimet; exprimet inimicus. Hunc ergo, qui navas operam reformationi, pluris facias; utpote defectus declarantem, quos videas, notes aſpicias correcturus.

ACROASIS VIII.

Facilius eſt iniuriis ignoſcere, quam vindicare.

Eſt facile ignoſcere inimicis, Dei lex nullomodo difficilis, ſolus Deus vindex. Leges fori crebro iniuſtiſſimæ. Ira deſcribitur: eſt homini contranaturalis.

Sæpiùs

SÆpiùs injurias vocas, quas advertentias dicerem: sæpè, quas nænias. Esto, aliquandò verè iniuriæ illæ sint, quas tales iudicas: sis iniquè exceptus, opprobriis lacescitus, atque malè mulctatus. Quid post? superest? Nihil utilius, nihil generosius, (rara dicturus sum! nihil facilius) quam cunctis ignoscere inimicis.

Sanctum est lege, ut omnes, inimicos diligant. Non jubet Legislator, ut vindices recepta damna, & inferas multò majora. Non est opus, ut Legi obedias, exire domo altis tenebris, atque mediam temerare caliginem, alteri insidiaturus. Non est necessarium exuere clementiam, ac furorem induere; Non requiritur armorum apparatus, neque loricæ strepitus, nec galeę impedimentum. Non teneris per ardua media vænales Martes conjurare, ut tibi sint præsidio, & alij perditioni. Quid igitur à Christo indicitur? ut inimicum diligas, iniuriæ ignoscas, nemini mala fata imprecêris. Poteris huic imperio obedire, domi, quiescens, in mensâ, in lecto, sine incommoditate. Mens ergo tua naturalis luminis deliquium patitur, quotiens non Christo obaudit: pręponit enim amara suavibus, molesta commodis, quieti discrimina, pericula securitati: ultrà! vitæ morbum, atque saluti interitum.

Injurias non inferunt corpori, sed anima, ergo excipias pœnis istos, non illa. Sed isti non subjacent tibi, ergo neque vindictæ, ideò omnipotens Dominus Deus vindictarum nominatur, cui uni licet esse vindicem, atque Animas punire peccatrices. Honori tuo detraxit ille, & tu detrahis vitam, quæ non peccaverat: ergo condemnas innocentem. Pingit te alter coloribus murmurationis: vide qualem te pingat. Si fecit imaginem, te corrige: si pictu-

ram perenna. Volebas ei rependere, & ipsum exprimere maledicentiæ penicillo? Ergo decreveras eum, quem erronem asseris, exactiùs imitari. Ne igitur ipsi sis similis, lauda vituperantem. Præsefert tuam patientiam consumere; fac igitur, ne intentum habeat, quia si irascaris, omnia illi ad votum, quælibet ad voluntatem cadent. Nullum dedecus majus, quam mendacio depræhendi: per te stat, ut ille, quem inimicum dicis, clariùs depræhendatur. Ipse asserit te malum esse; si bonus es, mentitur; si bonus sis, mentietur.

Quæ leges hę, quas vocant Fori? quid superest? sceleri imponitur virtutis nomen. Scientia Politica est antipes lucidæ essentiæ. Excœcat primò mentes; & postmodum persuadet homini lacero crudeliter ora, non posse habere civilem medicinam ni aures cecîderit laceratoris. Cum alium occideris, statim est tibi satisfactum? Hic anceps hæreo. Vulnus ne illud tuum habuit in alterius seu remedium vulnere, seu morte illatâ medicinam? Minimè. Verùm infertur inde? quod universi sciant, non illum esse in patrandis sceleribus excellentissimum; daris etenim, qui studeas superare. Cędebaris, recîdis, damna multiplicas, atque nulli mederis. Anteà erat ille contentus offendisse, eras & ipse offensus: vindicta interest. postmodùm alterutêr és injuriâ afficiens, alteruter injuriâ affectus; alteruter vindictæ cupidus, alterius alter insidiator. Qui antè fueras lacerus, iam es timidus: jam tenêris invigilare propriæ vitæ, imminet enim majus damnum. Convocentur igitur populi, vos seu Gladiatores, seu feroces Tigrides, estis vobis & ruinæ, atque cernentibus ridiculè-sœvo spectaculo.

Si iræ essentiam non noveris, describo brevis. Ira est quædam amentia breviter repentina; est Rationis oblivio, atque contemp-

tus

tus æquitatis. Affectus est, verùm rebellis intellectui: est sanguinis inordinatio, fastus fervidus, atque superbia præceps. Est cordis morbus, vitæ discrimen, animantis periculum, atque sui ipsius ignee-confusum chaos.

Vel si non benè pingimus, ipsa se pingat. Cerne, qualis qui irascitur, exuat humanitatem. Scintillat oculis, tremit labris, rugat fronte, ligatur lingua, vincitur pedibus, & vix habet membrum, quod ligamine careat. Colorem perdidit, motum alterat, passus decussat, vocem ingeminat, & nihil conservat humanæ consuetudinis. O utinam cum irasceris, tete videres, non solùm in te non cognosceres hominem, sed triferum Leonem pertimesceres. Ecce: Lupus familica, Tigris maculosa, Aper singularis, si concedantur iris, fiunt horribiliores. Nulla tam ferox animans, quam ira non vestiat novo horrore.

Qui hominum lecturus ista, qui non expertus fuerit, incommoda, jacturas, damna, hæc, illa, propter iram? Mortalium nemo in cujus domo, familiâ, contubernio, non aliquid acciderit propter iræ deordinationem, infortunium. In hac ego sententiâ. Cum de similibus sermonem instituimus, non est opus conglomerare analogismos, convinci possumus fatis propriis; alienis infortuniis, quorum sumus martyres, oculati, aut auriti.

Iram non esse homini naturalem monstraverat cordubensis Seneca. Hispanus Hispanum vincat, vinco. Probet acutiùs ille, ego faciliùs, breviùs. Ira non est corpori humano naturalis, immò est contranaturalis. Iam hic non solùm Philosophus agam, sed Philosophum. Rerum aliæ sunt naturales, aliæ supernaturales, Præternaturales aliquæ, & Contranaturales plurimæ. Illæ solùm dicun-

dicuntur Naturales, quæ ſunt neceſſariæ compoſito, quod ſi hoc perficiant, ſed non ſint neceſſariæ ſunt ordinis Tranſnaturalis, ſi nec obſint, nec proſint, Præternaturalibus adſcribi oportet: ſi tandem inficiant, ſunt cenſendæ Contranaturales, Radio hoc inſtructi Iram in medium proferamus. Non eſt neceſſaria ad hominis conſervationem, immò ejuſdem perditionem ambit; ergo non eſt Naturalis, neque Tranſnaturalis ipſa, non eſt prȩter, ſed verè contra naturam Rationalem: Non ſunt homini Connaturalia venena, veneficia. ergo nec iræ furor, qui illis rigidior ſaluti & vitæ contrariatur.

ACROASIS IX.

Cognoſcitur Ira per cauſas.

Iræ principia: eſt ſemper ad extrinſeco. Nullus poterit cogere alterius libertatem. Solus Deus habet potentiam ad præteritum. Cordati homines quales ſe debeant exhibere inter inurbanos: quales inter Latrones. Animi præparatio quotidiè actionibus aliis præmittenda.

QVæramus furoris hujus indomiti ſcaturiginem copioſe-perniciosam, fontem inveſtigemus, tentaturi, an obturare ſufficiamus. Variæ ſunt Iræ cauſæ, ſed univerſæ ſimiles, quoniam ab extrinſeco ſunt univerſæ. Dementia ſumma! Res externæ perturbant interiorem hominem! Vel non exequitur famulus, quod ipſi injunxeras; operatur, vel citrà, vel ultrà, vel prȩter, vel celeriùs, vel tardiùs quam volueras, & Iræ impulſu in furoris abyſſum altiſſimam præcipitaris! Miſera tibi ſors contigit (Anime infœlix) incautus Dominus; regimen indirectum. Cur ille,

cujus actiones animas, permittit; quod & ipsi famuli, qui esse tibi debuissent ministerio, possint, cum lubeat, tuam quietem, atque tranquillitatem temerare?

Ad impossibile tenetur nequis, & impossibile tibi est aliorum placita determinare. Quidquid alius velit, est extra tuam jurisdictionem, non enim sufficis resistere liberæ voluntati. Opera exteriora mala, si prævideas, evita; si pateris, tolera: peccantem, si sis frater, corripe; corrige, si superior. Præsumptio summa est velle alterum prædeterminare, atque necessitare, quem Deus condidit liberum, & circumstantiæ non necessitant: major attamen velle eum non fecisse, quæ semel, seu cautè, seu incautè, jam fecerit. Ad præteritum potentiam Deo concessere vix aliqui; Creaturis nullus. Vis ergo tibi illam virtutem arrogare, quę vix competit Deo? Iræ est quædam Ambitio, major Luciferinâ. Æqualis, & Deo similis esse expetiit prævaricator Angelus, tu Deo esse major. Tuæ potentię terminos extendis ultra totum possibile, & per temporis gradus retrocurrere gestis, & coexistere transacto tempori, cui præsens non coexistit.

Tibi honoris avido non fecit quispiam reverentiam: se exhibuit inurbanum. Esto. Inurbanitas est vitium? asseris. Cur ergo alienis vitiis angeris, ac perturbaris? an non esset & meliùs, & aptiùs, condolere? Si supponis omnes semper esse universa præstituros ad nutum tuæ voluntatis, nusquam habebis quietem, nusquam non perturbaberis.

Non possum non recensere Providentiam moribus utilem; utinam benè doctus essem, utinam docereris. Pientissimus, & nobilissimus D. Laurentius de Cueto, Beatæ Mariæ de Velâ Frater

in Monasterio de la Espinâ prope Vallisoletum olim Abbas, atque jam (ut spero) ad Sydera translatus splendor, me sibi addictissimum, & veræ sapientiæ condiscipulos in hoc puncto conamine summo instruebat. Lectio erat brevis, nec difficilis; utilis tamen maximè. Debetis, ajebat Sanctus senior, matutino tempore in præparatione Animi ad horas, ideare successive illius diei actiones universas, aliorum erga vos, & vestras erga alios, prout humana Providentia sufficit, illas præmeditari, Proponite vestras ita dirigere, ut maximè placeatis Deo; supponite aliorum erga vos ita directum iri, ut maximè vobis displiceant: ideò qualescumque illæ sint, non vos poterunt frangere, qui expectabatis molestiores quorum animus ad amariores fuerat pręparatus. (O breve, sed verùm servandæ Tranquilitatis magisterium! fœlix contra ictus fortunę præparatio! Audisti, discas: nec uspiam tædebit didicisse.

Quis ille tam lapideus corde, qui non condoleat laboranti aliquo morbo corporali? quis adeò demens, qui irascatur, cum eum videat morbi violentiis lacessiri? Periculosior est morbus animi: laboranti conscientiâ, cur non condoles? cur non compateris?

Grassantur nebulones? vias infestant? agentibus iter insidiantur? cave tibi: & hoc sufficit: disce alieno periculo. In ipsorum manus incidisti? disce proprio. Ne doleas, ne queraris, obsecro: incuria tua punitur, & audacia tua dedit pœnas. Ne irascaris contra prædonem, non enim pertinet ad te illum punire; pertinebat castigare tuam temeritatem; Si in reliquum cautior reddaris, castigasti.

PARS

PARS QVARTA.

Tota Vitæ Pulchritudo

VANITAS.

VAnitas pulchritudo vitæ, quoniam caduca: non esset vana, si immortalis. Corpus Morti subjicitur, Mors animo. Iccirco Ovidius ut speciosus appareret, non portionem caducè corpoream, sed orsus perficere athanatώs-immaterialem, dixit.

Si mihi difficilis formam Natura negavit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

Ipse in Artis amoræ libro secundo perstringit nimium corporum cultum, persuadet animi curam, & elegantiam: curiosè; elegans sic.

Iam molire animum, qui duret, & astrue formam:
Solus ad extremos permanet ille rogos.

Immò ultra extremos, quia ut verissimè Maro. (*Eleg. de Mec.*)
Vivitur ingenio, cætera Mortis erunt.

Natura, Deus, Animum, Ingenium, Spiritum, prosequitur æternitate; subjicit Morti Corpus, atque Potentias materiales. In vanum laboras, si corpori decorem desideres; quoniam corporeus quisque est vanitas. Fælicibus initiaris auspiciis, si ornes Animam incorporeis divitiis, monilibus transmaterialibus: quibus

ipsa potentior, & audacior, non Mortem timeat, sed exoptet. Ambis cognoscere, quibus ornamentis illustris Anima, mori sitiat, ut vitam perennem assequatur. Devotę tuæ ambitioni curabo breviter-verax satisfacere.

ACROASIS I.

Mortem dilectum iri.

Summa apprehensionis efficacia. Pueris Cœlestis Intellectus. Insipientia Matertera. Mors homini necessitas, quies, pax, Vindex, resurectio. Angelifex. Corpus carcer, sepulchrum, tumulus. Mortis appendices, & præcursores, quæ? qui?

EFficacissimam rerum apprehensionem! subjicitur? Phantasiæ magis, atque Rationi minùs. Nec hoc novum; nec rarum. Adhuc sub Stagiritæ tempora (ipsi fidem) erant plurimi qui errori primùm appræhenso intensiùs adhærescerent quam cognitæ secundò veritati. Cœlestem Intellectum nobis habuisse contigit! Colligo? non dimittet formam semel acceptam materies, sive potentia Cœli: ipsi similis à suis actibus potentia intellectualis inamissibiliter afficitur, sententias, quas imbuerit primas, nusquam, aut saltem seriùs dimissura. Plurima esse terribilia dicimus. Causam? quia pueri ita judicabamus: & hæc puerilia adhuc judicia in nostro perennarunt. Proficiscimur ex pueritiâ ad adolescentem, ad virilem, ad seniorem ætatem, sed non proficimus: quò magis decrepitum fit corpus, eo puerilior animus. Summa miseria! Macte igitur tandem. pueritiam exue, &

disce viriles sententias edisserere. Fingant manias Materteræ, ut Infantibus terrorem inferant: non tamen Chimæras timeant viri, qui à viribus sortiti nomen. Matertera humani generis Ignorantia est, proponit nobis mortem sub alienâ specie, nempe indutam dedecore, togatam turpitudine, angoribus multis circumdatam. Si adhuc pueri simus, timeamus, nec dedecus; sin, non licet fictis coloribus turbari. Anima vacillantem animum, accede propiùs (qui non facies? accedes nolis, velis) exvamus vestes, quas fallax superposuit inscitia; larvam quam ignoranria; & Mortis speciem, formam, & habitum consideremus.

Primò fœlices illos reor, qui invisunt Mortem, quique à Morte invisuntur. Annon infælicissimi, qui careant necessariis? ergo qui careant morte, hæc etenim necessaria est.

Audisti sæpiùs hominem, ut laboraret, natum. Est ne æternùm is laboraturus? si sit, est omnibus miserior animantibus, etiam mentis impotibus. Ne igitur crudelis natura esset Crearuræ Principi, posuit labori terminum. Quem? Mortem. Si nomen sit horribile, illud non habet à Naturâ, sed ab hominum impositione, isti imposuerunt illi, esse Mortem, quæ erat reverà laborantis quies, & captivi libertas. Vel audiam propriùs', propiùs, actores quoslibet, qui invehuntur in mortem, hoc est, in hominum, concessam-cœlitus fœlicitatem. Aut dixerint: Quam vitam requiem, si quateretur semper humorum inclementiis, & nec concordiam, nec separationem speraret? Cum occurris duello; dirempturo quæstionem duplex suppetit via; curare oportet in favorem bellantium, sive separationem corporum, seu conjunctionem ingeniorum. Ferocia sunt ingenia humorum, vitæ: nec

 licebit

licebit naturæ uſpiam illos reducere ad concordiam: ergo conſultum fuit, ipſis corpoream ſeparationem procuraret. Vocet vulgus mortem, quid mea? demonſtravi eſſe animatorum ſpirituum pugnantium invicem, optatiſſimam Pacem.

Luges captivus ſub Domini injuſtâ tyrannide: cogeris non exire ex carcere breviſſimo; in illo ceu in ſarcophago breviter cœco detineris. Veniat aliquis carcerem diruturus. An clamabis inſidias, proditiones? vocabis Artifices corruentem murum, iterum erecturos? qui faceres? aut ſin minùs, non ipſe amabas libertatem, ſed potiùs ſervitutem. Scio, ſcis: nullus qui rationalis, non ſibi gratularetur liberando, non grataretur diruenti. Totâ tuâ Mente indigeo. Quid corpus? Animi breviſſimus carcer, longa captivitas, profunda ſervitus, altiſſima tyrannis quæpiam. Miſer animus, quandiu in hoc carcere obſcuro detinetur. Non licet fugere; Egreſſuri vita cuſtodia eſt, occurrit evaſuro, atque catenis alligat, ne cogitet miſer in Patriam. Illa accidit, quam vocas mortem, carcerem diruit, cuſtodiam, & excubias fugat, Animum donat optatâ libertate. En licet ex corporis carcere eggreſſo longa ſpatia compræhendere, cœleſtes fornicès inviſere, Æthrâm peragere, calcare ſydera, præfici lucibus, ſplendores induere, quo perventurus ſum? cur quieſcerem ante finem ultimum? licebit tandem tibi ex carcere materię egreſſo, ingredi in patriam, atque donari beatitudine. Cur igitur mortem fugis tuæ ultimæ cauſam fœlicitatis? cur contra beneficam conſpiras? cur conjuras cum Medico? cur ſatagas impedimenti? Loquar ſincerè: cum illam artis induſtriâ fugare, niteris ingratus es optimè meritæ: & beatitudinem poſthumam non bene credis.

Sine

Sine Iustitiâ natura conservari non posset? opus est capite, damnetur homicida. Senectus occîdit tequà iuvenem, natura est vindex severissima: quid mirum, si capite puniat senectutem? Plectit natura; si tuas agit partes, si tibi prospicit, si senectutem capite punit, ut te vindicet, quî quereris? quî clamas? (Times? nullus hic, seu metui, seu timori locus; multus hic: nempe plurimus aliis, nullus tibi, qui alterius damno vindicaris.

Animus Deo capax, cum primùm conditur, in corporis tumulatur sarcophago, in brevi tellure sepelitur. Times ergo, resurgat redivivus? Noverca es ipsi animo! eâ pejor! Hpipolytum Virbium amavit Phœdra, tu odis Virbium. Amas animo sepulchrum corpus: non amas resurrectionem ex sepulchro.

Vastam curioso artifici exposuisti materiem angelum expressuro. Cælare incipit, atque minuere, cum summo materiæ detrimento. Occurras cælaturo. Cur in frusta concîdit ligni partes non ineptè conjunctas? ut lignum convertatur in angelum, fit etenim talis conversio cum corporis jacturâ summâ. Arbores; misera, si in angelum non convertenda, Eges industriâ Artificis, nec eris cælestis, ni cæleris. Angeli formam indues, sed non sine jacturâ corporis. Opus est pars sensibilis patiatur detrimentum. Sed materie perditâ Angelica est multo nobilior Forma: ergo lucraris plurimum, cum tuum corpus deteritur. Congratulare igitur Morbo præcursori, gratare morti amabili, cujus pedissequa hæc est, quæ intenditur angelicè-Cœlestis Forma.

ACRO-

ACROASIS II.

Cur Natura angoribus ultimum solamen circumdedit.

Vltimum Solamen:quid?terrores,atque angores mors sequitur:quare? Fidelis, & æqua semper mors.Parca audit,quia parcit.Est regula non pœna Politicè-laudanda:methodus perdendi Fortunæ Dignitates. Nil Mortis horâ certius.Nullus à morte prævenitur.

VOco solamen ultimum,quod nuper quietem,libertatem atque resurrectionem:Si tuo lexico uterer,vocassem mortem.Angoribus circumvallatam vides, morbis concinctam,stipatam doloribus,septam infirmitatibus. Non negabo ultimo anhelitui miserias, sed corrigam dicendi phrasin. Non hæc angoribus circumdatur, sed prævenitur. Sunt ipsi dolores pręcursores,miserię pedissequę sunt nuspiam.Multi angores prędvii,nulli attamen sunt latrones. Cum ipsa adest,imponitur dolori terminus,angori limes, finis morbo: convertitur labor in requiem,in lætitiam mœror,timor plurimus in securitatem. Consultò Naturam interposuisse reor,tibi,& regioni occiduæ vastissimas undas Oceani;si enim illæ non interessent, qui hominum ante diem,industriâ propriâ;non deveniret ad occasum? qui sol non occideret etiam in ortu?quis non conjungeret, cunas cum tumulo,& Genethlian cum Morte? Provida ipsa natura præposuit Morti morbum,ne Genus humanum perderetur; ut timore illius non statim amplecteremur istam.

Fide-

Fidelis est omnibus mors; nusquam exceptrix Personarum: æquo pulsat pede Pauperum tabernas, atque Regum palatia. Obliviscitur neminis, omnes visitat, nequem supersedet, universis conceditur. Verè Parca dicitur à parcendo, quod semper parcat. Nos contra illa convitia, opprobria, congerimus maledictiones, potuisset ægrè ferre, & nos contemnere, seu oblivione longissimè malâ mulctare. Dicamus, quid velimus, non causatur, fugientes præoccupat, venientes excipit, bonos, seu malos. Ergo si omnibus una, cunctis eadem, nullus contra eam justè, nullus legitimè queretur. Abstulit veteres, ut nos succederemus; expectant Posteri; auferet nos, ut illi veniant. Indicens istis incolatum, illis facit ingrediendi copiam, & ideò mors est successionis Regula, non pœna; esset summa naturæ, si esset successio irregularis.

Egisti vitam hilarem, age igitur hilarem animam, iam dierum satur. Si vita fuit difficilis, incommodis plena, miseriis consita, eccur angores ambis multiplicare? cur convivis ingratæ? relinque ipsam, tanquam indignam comitem. Si res alternis vicibus negabantur, & concedebantur voluntati; si fortuna cantabat Amœbæa; cur non fastidis inconstantiam? cur non tædet te rerum vicissitudinis? Immortalitate donari appetis, contemne igitur Mortem, quia teste Curtio *effugit mortem quisquis contempserit, timidissimum quemque consequitur.* Non ergo te, qui illam non timeas.

Docent Politicæ rei præcepta Critica, modum honorificum perdendi dignitates. Es Consul, non potes non privari Officio? ergo cedas id ante sententiam: semper enim fuit dignius relinquere

quere officiã, quam privari. Ergo si vita est dedecus, relinque illam qua dedecus: si dignitas, agitur contra te, in severo judicio, non poteris non condemnari: Privaberis ministerio Vitę. Ne igitur patiaris hoc dedecus, hanc ignominiam scientiæ præveni. Vitam desere vitâ pri vandus. Licet? si non effectui, affectui. Prius affectu moriaris, postmodùm effectu moriturus.

Te audiui sæpissimè asserentem: Nil certius morte; nil esse incertius mortis horâ. Audieras ab aliis; & resumebas ideò, non enim studes examinandæ veritati. Deus! Est certissima non solùm mors, sed mortis hora. Nulla est, in quâ non moriaris. Semper adest hęc, quam incertam dicis, quam te fateris ignorare. Nec quòd ignores, credo; sed quòd credas, ignoro.

Saxeus sim, si non rideam, cum illum, alium, audis gemiscentem, ingeminantemque: Quis crederet me duobus diebus, à febri sufferendum esse? quis me ante diem? heu! morte prævenior! (Quis? crederet quicumque, qui benè: tu non, quia, ut infero, non benè credis. Nullus duobus diebus occidit; sed incipit mori, cùm nascitur: imponetque morti finem, cum vitæ. Morbus ille, cui cedit, inveteratus est, immò & immedicabilis, à tot in illum morbum annis incidit, à quot excidit ex ventre Matris. Existimas otiosus dies similiter otiosos esse; teris tempus, verùm tempore tereris, & nulla transit hora, quæ non fodiat sepulchrum, quę non extrahat tellurem, ut breuiùs, atque faciliùs sepeliaris, *Curtius apud Causinum de Eloq. l. 2. c. 15. pag. mihi 106. 1.*

ACRO-

ACROASIS III.

Homines tunc maximè mortem desiderant, cùm maximè dicuntur timere.

Mortem appetimus, Diligimus, amamus universi. Homo sæpe operatur ex motivo nullo. Appetitus humani deordinatio. Mors rerum perfectio. Mortui Magistri moriendi. Mortui debent consuli, sed qui? qui?

QVid, si Mors (quam mente ideas horribilem, appellas inimicam, timendam personas, crudelem ingeminas; quamque odio iri affectum profiteris) demonstraretur, non solùm amabilis, sed & amata? Audeo dicere; nihil est, quod magis ambias, quam tuam mortem. *Forte* non credes! nec miror; ratio? quia cum cœcè ames, opus est, ut & ames, & quid ames ignores. Herculè, Mortem prosequeris intenso amore. Demonstrem, vis? obsidio. Hæc sunt, hæc fuerunt, tuæ desideria vitæ. Infans desiderabas puerescere, adolescere Puer, Iuvenis pubertatem: semper optabas crescere, ergo appropiare ad Mortem. In vere tædet te temporis inconstantiæ, atque æstatem desideras: In hac æstus fervore angeris, & deprecaris hyemem; in anni frigido quadrante rigori non sufficis, & anhelas ad terminum rigentis inclementiæ. An negabis in iis omnibus te tuam, (quam vocas inimicam.) Mortem appetere? Est ne possibile post hanc temporis atomon, aliam succedere; quin & tuus exitus per unum passum, & alium, magis, ac magis appropinquet? Maneat igitur in-

tegrum, te mortem tuam ubique, & ſemper perenni deſiderio ambire.

Hîc novis ſenſibus indigeo; organis, atque potentiis novis. Antiqua non ſufficiunt, ut inveniam motivum, quod tuam gubernat voluntatem. An temerè, ſi aſſererem id nullum eſſe? Vere ſi eſt aliquod, non ſufficit mea mens expendendo. Si exteriorem hominem judicem, régeris nullo; agis enim, ac ſi à nullo fine, ſive motivo régereris. Tuum rationalem appetitum ſpeculor, inque eo vaſte-confuſum chaos. Quî intelligam? omnia Philoſophiæ dogmata & leges Naturæ temerantur, & quæ à Doctis credita fuerant repugnantia, in tuâ coexiſtunt voluntate.

Fugit tuus appetitus! quid? quod deſiderat. Deſiderat? quod non cognoſcit. Cognoſcit? quæ expediret exſequi, quæque nuſpiam præſtabit. Timet, quam vocat; deſiderat fugare, quam acceſſit: vult non venire ad metam, & currit? Quid hoc? appetituum, confuſa deordinatio, potentiarum diviſio, motuum irregularitas.

Finis, rerum perfectio eſt: cur ergo odio perſequeris tuam perfectionem. Dum vivis moreris: vis ſemper mori, & nuſquam mortuus eſſe? Si mors eſt bona homini, quà bonam appete: ſi mala, ut tranſeat expete, ut ut à miſeriis adſtante, atque imminente liberêris.

Nauclerum convenis docendus artem nauticam; Duces, ut diſcas Militarem; ut Sydera noſcas, Aſtronomos, ut morbos fuges, Medicos; ut cantes, Muſicos: ergo conſule ut mori didiceris, Mortuos. Ecquos? jam dixi: Mortuos. Audis viventes diſſerentes de Morte: ipſi ſunt inexperti, & ſic quid dicant neſciunt;

ideò dicunt quin sciant, Horribilem pingunt quam nondum viderant: cur talem? quoniam sic opinantur.

ACROASIS IV.

Mortis memoriam recolendam.

Mortis timor inutilis : ejus memoria recensenda. Homo memoria caret quando? Cognitio sui. Mundus vrbs. Homo amens. Mortis contemplatio. An jurisdictio mortis ultra vitam? Vitæ duplicis dispendium. Rei Mercatoriæ regulæ. Gaudia non venduntur in Cœlis.

TImes mortem; an illam sine causâ? quis times? Corporeus, an intellectualis? Nequis quà Rationis compos horrere exitum, ni præferas alis compedes, carceri libertatem. Corpus verò cur laboris terminum pertimet, atque miseriæ limitem? sanè suas ærumnas, atque infortunia magnifacit.

Non vis vel Mortis nomen excipere, sed ab ipsâ excipieris. An illa per aures insultum est factura in spiritum? Inutilis hæc cautio est. Deùs: ipsissimam patieris citò, cujus nomen non pateris. In illâ atomo ultimâ, & vox recusata, & nomen invisum, & nominis significatum, & istius rigores summi aderunt; majores eò, quò magis prævenientes, quoque præventi minùs. Inopinati irruent amarulentiùs, qui expectati dulcescerent.

Audire ambis acutus, ideò expresse detrahis tuæ Memoriæ, ut suppresè evehas intellectum. Verè memoriâ cares, vel saltem verâ. Quis crederem hac tete instructum facultate, qui tui non reminisceris? Si tui non recordaris, es tibi ac si non esses, siquidem es absens ipsi tibi.

Mentem, quâ pollere aut desideras, aut profiteris, esse in te amentem, qui ambiges, qui immemorem memoriam observasti? Proximus ipsemet tibi. Non poteris curare aliena, qui intrinsecè propria non penetras.

Ingreditur maximam urbem peregrinus, excipitur debito hospitio, non aditurus alterum: vult exspatiari per plateas, & curiosè ea cernere; quę nec prostrant sine curiositate. Annon ante quam declinet domum ipsius attente signa, atque characterem contemplabitur? iis medullitus cognitis, egrediatur (licet) & speculetur universa. Quod si incautè discesserit, qua repetet domum incognitam? quem interrogabit? quod si detur, quem: quomodò consulet venientem? erit opus oberret, non poterit Planetam non agere; per invia, & ambigua pede incerto æternum deviabit.

Ingrederis maximam vrbem; immò maximum orbem. Exciperis hospitio in corpore. Vis egredi, sublimiora aggredi, mente per rerum naturam exspatiari? Age, propera, vola, festina; nihil sub sit abysso; nihil supersit cœlo, quod non examines; nil in tenebris abditum, quod non inquiras, sive non investiges: verùm ante quam te domum deseras, te bené meditare, atque cognosce reversurus. Si te incognito transferaris ad dissita, non poteris ad te reverti, quia nec viam cognosces reducem, nec conductorem adinvenies; nec, si accideret, scires qualiter debuisses eum interrogare. Erit igitur opus, sis extra te semper, qui te nondum cognitum ausus es declinare. Qui extra te, vere es amens; neque, quod non cognoscas, miror, opus etenim est mens cognituro, & amans caret mente.

Cognitio propria proderit, hæc est mortis cognitio, quoniam

& tu mortalis. Hac speculatione radicitùs ipse doceberis, non solùm quid sis, sed & quid fueris ante genesin, quidque futurus tandem. Est axioma tritissimum: Familiaritas contemptum parit. Terendo à morte, sit tibi familiaris ipsa, ut hæc familiaritas contemptum pariat, & tu pareas Rationi, & pereat mortis timor inordinatus.

Fœlix eris, qui fueris sapiens. Fueris is, alter, si mors te spoliaverit vitâ solummodò. An mors furatur præter vitam? Maximè: sunt à quibus illa non solùm auferat vitam, sed vittam. Aperi oculos, & aquilineo obtutu eam à longè venientem respice, saluta appropinquantem, ut fuerit salutifera: si te etenim appetitui credideris, imponit vittam oculis, ne occurrentem prævideas, ideoque Mortifera veniet inopinata, quæ expectâta prodesset salutifera.

O utinam te spoliet solùm vitâ. Sunt, quos exspoliet spe temerariâ, & perennandi præsumptione: illos morum incuriâ; hos terrestrium cœca rerum cupidine: non paucos cœco. Si te his omnibus passionibus priùs exspoliaveris, exspoliatricem non horrebis, cum nec supersit quid illa auferat; sin minus Mors præoccupabit oneratum, & perdes cum vita simul vitia, cum vitiis temetipsum, qui potuisses & illa perdidisse ante Mortem, ne post hanc & ipse perdereris.

O utinam grassatrix illa Parca, quæ expectat in excubiis, & gressibus tuis insidiatur; ô utinam te exuat unâ vita; sunt enim (nec sine dolore, & lachrymis exprimam, quod hucusque suppressi) quos duabus privet. Nempe? illos eosdem, quos divitiarum pondere, voluptatibus, gaudiis, delitiis; hos enim latro crudelissi-

ma exspoliat temporaneâ,&reddit expertes vitę ęternæ.Ne morti debitam vitam negaveris;ipsa etenim velis,nolis, accipiet. Ne autem te delitijs concesseris,quas in transitu amittas,& cum ipsis vitæ præsentis possessionem,& spem æviternæ.

Exantlat summa pericula mercator cupidus, cujus Oceanus sitim extinguere non sufficit,quamvis vastissimus; finis navigationis? India;Navigatoris?opes.Merces quas?Proferet herculè ad campos Gargarios nullas segetes,[a] nec ad Methymnam vinum, nec ad pelagus pisces,quia illi frumento divites,hæc vineis perillustris,hoc piscibus scatens,celebratur. Sed ex uberâ fructus deferet ad regionem sterilem.

Dictum puta,lintris nauclere miseræ,cymbæ periclitantisGubernator.Concitato motu properas in regionem occiduam, & ut dicis,ad Cœlum.Si delitias,gaudia,ac lætitias invexeris, perdes expensas, atque nihil lucraberis. Quis enim caduca empturus gaudia Cœlo supererit;ubi tot,ubi talia?Ecquis viles delitias, ubi copia nobilium?Quis lætitiam emet adulterinam,ubi funguntur verâ?æternâ quis donatus gloria,concupiscere decernet vanam? Profectò nequis.Ergo cessante lucro,emerget damnum,&tu tuo in Styge profundâ submergêris.Ne igitur talentum tuum dilapides,consule me,merces ad cœlum transvecturus.Non eò lętitias, ubi æternus est jubilus; non Charites, ubi infinita est Charitas, quoniam & ista est Deus:sed illuc merces exquisitas: Contritionem,quoniam nullus est dolor:jeiunium,quoniam nec nota fames;pœnitentiam,omnes etenim complacet; paupertatem, siquidem ditissimi sunt universi:obedientiam,ubi corregnant omnes. Hę merces,ex naturâ suâ pretiosæ,sunt tibi in terra emendæ

parvi, aut fortè nihili, quoniam & ipsa exuberat dolore, fame, tædio, paupertate, atque continuâ servitute: vendendæ in cœlo maximi, ubi non hæ nascuntur, nec reperiri poterunt ní à terris ad astra transferantur. Vbi mirabilem placet Metamorphosin speculari. Quæ apud nos Contritrio fuerat, convertitur in beatitudinem. Hęc mercatoriæ rei doctrina absolutissima! illâ instruaris quisquis parvis expensis lucrari velis opes empyreas-cœlitùs, gazas transnaturales.[a] *Vide Ovidium de Arte amandi. l. 1. vers.* Gargara quot segetes.

ACROASIS V.

In morte nusquam illachrymandum esse propter derelictam vitam; semper propter delicta vitæ.

Inutiles lachrymæ in Morte. Ira contra suum Dominum. Mors dulcis necessaria. Lachrymæ inutiles in infortuniis. Homo ultro infelix. Gaudia in mundo ociosa.

A Patre, à Filio, à Conjuge audis ultimum Vale. Rependis ultimum? laudo, pendis morienti lachrymas? vitupero: sunt etenim inutiles, & illi, & tibi. Texis prolixè mœstos elegos; contra quem autem? non nisi contra deviventem, ipse etenim qui discedit, atque te derelinquit. Cæterùm non est dignus, ut contra eum invcharis, qui non potest non ire; tu potes; sîs, in ejus discessu conplacere.

Moreris, & luges? illachrymaris, quoniam non vivis diutiùs? ô phræ-

ô phrenesin! contra quem querelę, lamentationes, gemitus? quorsum strophas tristes in animi angore prætefers? si non contra te, saltem non contra alium. Tu ipse, tu, tu, qui discedis; tu, tu, qui irasceris? ergo tibimetipsi. Miserum te! heu! frangeris ob illud ipsissimum, quod ipse facis.

Dicis: dolorem esse collateronem Mortis, ac præcursorem exitûs, comitem individuum incolatus: sed falleris. Annon erant homines similes nobis passibiles illi Philosophi, qui gentiliciè audaces mortem aut ambierunt, aut anxiè peroptarunt? An specie distincti illi milites, qui in medios hostes se conjicientes repererunt in facinore generoso mortem, atque in hac Lauream? vel si profana tæder speculari, homines fuerunt Martyres, pusillæ illæ Virgines, quæ sanguine exhibuerunt testimonium, atque morte vicerunt occidentes. Quid ad hæc? in iis omnibus eadem Natura fuerat, non tamen opinio eadem de vitâ, & Morte. Aut credis te, & tuos temporaneos esse, aut æternos? Si hoc vltimum, summâ laboras ignorantiâ: quam deponere oporteat. Si primum, ergo opus est pertingas, atque pertingant limitem; quomodò ergo tibi improvisus terminus, qui fuerat necessarius?

Merces divites naufragio perdidisti; corruit domus: in lusu diminuisti substantiam; in infortunio quantitatem. Fefellit te vsurarius, spoliis tuis ditescit campsor: cur igitur illachrymaberis? Velim doceri: solutus in undas, angore maceratus, tędio perculsus, fato anxius, postquam & cor consumpseris, pectus percusseris, vestes disruperis, cerebrum exsiccaveris, fatigaveris reminiscentiam, linguam interpellaveris; reperis, vel navim in portu, vel domum erectam, vel recuperatam quantitatem? Minimè ergo si

frustra

frustrà illachrymaris. desistas, obsecro, ne quidpiam frustrà. Infœlix es, quia talis esse appetis; Luges, & contristaris, qui posses hilarescere. O gaudia, o quies, aut non estis in mundo, aut verè ociosa, quoniam non reperimini.

ACROASIS VI.

Eleemosynam ad fœlicem mortem optimam dispositionem esse.

Beatitudo vera consistit in Dei similitudine. Eleemosyna non est donatio, sed solutio. In paupere Deus. Pauper tibi Dei Legatus. Non petentibus etiam favere oportet. A Deo ne petas diversas vanas glorias, sed Deum. Damnati Deum glorificant. quî? Opera satisfactoria debent præponi Morti. Hæredum negligentia summa. Non solum erimus, Deo debitores cum devivamus sed verè jam sumus, & jam possumus solvere. Orationes defunctis quid præstent?

TVnc Beatus dici poteris, cum Deo sis similis, siquidem beatitudo Theologica consistit in similitudine. Deus est bonus, & qua talis est diffusivus sui. Tibi dedit divitias, ut opitulareris pauperi, dicebat contra Androm. doctissimus olim Synesius. *Benefacere est natura Dei, sicut & ignis calefacere, & luminis illuminare.* Es beneficus? ergo pauperi es Deus. Et in præmio invenis Deum quocumque in paupere. Debes plurimum Æterni liberalitati: cumque effectus inæquales sint, quamlibet ab eâdem causâ, juvat examinare, quid illud quod maximè debeas Largitori. Non ei, qua te ditanti, tantùm debes: quantum creanti

pauperes,qui te indigerent, quibus potuisses auxiliari. Si qu§ris egenos, quibus nec petentibus faveas, tuæ satisfacis obligationi: & erit digna præmio inquisitio, & laureâ donanda diligentia.

Petenti pauperi,non donas,sed solvis. Illa ipse, quæ & sibi necessaria,atque tibi superflua: ergo teneris dare,ne pereat·non igitur largiris gratis,qu§ non dare non poteris.Ergo Eleemosyna solutio verè dici debet,cum sit largitio ex debito. Opes an tuæ, an Dei?ab hoc possides mutuas,repetet cum maluerit; non poteris illas non solvere.Legat,ut petant pauperes, solve igitur; nempe? ipsi Deo. Fallere vult divinam Bonitatem, atque arrogare sibi substantiæ alienæ possessionem, qui Dives Fortunas non largiatur pauperi. Comprehensus furto à Domino thesauri condemnabitur.

Non debes expectare,quominùs egenus pudore suffusus audeat,&sciat efflagitare;sufficiat aliunde noveris ejus miseriam.An Deus expectavit,ut necessaria,& salutaria peteremus? Quis sciret incarnationem poscere?quis auderet passionem? nemo herculè. Nihilominùs ipse sapientiæ Fons,scivit,voluit,& potuit, utrumque facere pro nobis.

Cum Deum oraveris,ne divitias postules, quia has ab hominibus habere poteris, non aurum, siquidem tibi id terra progignit metallipara:non honores Politicos,quos fovet vanitas, atque invênit superbia:non vindictam,quia hanc solum ira appetit, & h§c est trifera.Pete à Deo.quid?quod unus possit dare:nempe? se ipsum.Pete eum cujus indiges bonis;illum,qui tuis non eget.

Da Misericordi§ illius gloriam,quem non poteris non glorificare

ficare. Quid hoc? ergo & peccatores, & damnati glorificant causarum causam? Maximè. Nulla est creatura, quæ non Deum glorificet, verum sub diverso attributo. Mundus omnipotentiam prædicat: æternus ordo Syderum sapientiam summam: redemptio hominis, infinitam Clementiam. Si Legi æternæ satisfeceris, beaberis misericordiam Domini glorificaturus: si in vitâ Divinas non servaveris regulas, eris devivens gloriæ Deo, verum qua vindici, qua iudici, quà punitori.

Tu igitur, qui gloriam dare appetis Misericordiæ cœlitus infinitæ: sic vivas, qualiter vixisse volueris in incolatu. Dispone ipsemet de rebus posthumis nondum sepultus; consultum enim est opera pia in vita exequi; inconsultum hęredi relinquere exequenda. Ne condemnes hæredis negligentias, qui erga te fuisti negligentissimus. Quis te tibi fidelior esse poterit Testamentarius? ergo vitâ superstite facias omnia, quę tuæ fuerint saluti necessaria, atque similia non confidas alienæ voluntati.

Vis scire, quid facturi sint homines tibi defuncto? revoca in memoriam, quid aliis feceris, quorum ex asse fuisti hęres. Dolorem terminat hæreditas, cujus individuus comes est legántis contemptus, vel saltem oblivio profundissima. *Qui multum in suorum misericordiâ ponunt*, ait Quintus Curtius, *ignorant quam celeriter lachryma marcescant.* infero: an malè?

Ergo nîl quoniam vitâ est quod amemus in istâ,
Nec tamen in cassum fas est nos credere natos,
Authorem vitæ si iustum credimus esse,
Vita alia est nobis, illi vivendo, paranda,
Cum quo post istam possimus vivere vitam,

Illi autem Stygias properent descendere ad umbras,
Pythagoreorum stolidum qui dogma sequuti
Non natos sese, quam natos vivere malunt.

Hæc Gallus Ausonius (*Eclog. de ambig. vitæ elig.*) Fælix si ipsi subscribas; Ne te pæniteat natum fuisse, nusquam non pœniteat in vitiis, atque deliciis perennasse. Ita vive, ut pares aliam vitam. vive tibi, & Deo; siquidem.

Vita alia est nobis, illi vivendo paranda.

Vivas, obsecro, tibi, non tuo hæredi: is etenim vivet sibi, vel aliis, saltim non tibi.

Disce igitur, homini non confidere: quæcumque debeant fieri, fac ipse; & sic aliorum negligentiâ devivens non periclitaberis. Si instituas opera satisfactoria, an quæ debebis postea, divinę Majestati, etiam non debes modò, qui in peccato conceptus, ratione priùs abuti cœperis, quam uti? Hæc in mentes hominum subrepsit ignorantia, ut omnia in finem differant, quando disponere vix poterunt. Opera viventium habent meritum, satisfactionem, impetrationemque. Huic ultimæ deprecor efficaciam. Qui semel Deo gratus, felix eris, licet non crescat meritum; fęlix quamvis non satisfacias; omissio enim hæc, detinebit te diutius in purgatorii loco, ubi nullus æternùm. Cæterùm, si perseverantię deficiat impetratio, cum Deum primum perdideris, eris miserrimus. Igitur bonis operibus impetra ultimam gratiam vivens, quæ te jungat cum Gloriâ. Oramus pro defunctis, sed nec preces ipsis gratiam impetrant, si non habuerint, nec quam habent, adaugent, solum pœnas diminuunt Purgatorii. Ergo adiguntur, inferno igni quam plurimi, qui si oravissent, ultimam

Gra-

Gratiam impetrassent:non orarunt, quia hanc provintiam hæredi legabant suscipiendam:confiderunt in homine, & ideò pereunant maledicti.

PARS QVINTA.

Assistit deviventi, instruit in ultimâ difficultate, in agone corroborat.

Nihil periclitanti utilius, quam discriminis clara notitia, nihil nocivum magis, quam opinio falsa securitatis. Sunt multi in ultimo agone constituti; per quos nec licet proferri nomen mortis; alii, quibus persuadent circumstantes jam esse extra periculum. Infælices utrique! Illi ab intrinseco, ab extrinseco alteri. Vtrorumque miseria consistit in Morte inopinatâ, sive quod idem est, in male conceptâ salutis opinione; cujus es causa proxima, si non permittis tuos veraces esse; remota saltem, si tales domi toleres, quos æquius tolleres: nempe? qui adulationem præponant veritati.

Frequèns non credunt deviventes, se esse in limitè vitæ: Medici, ut prosint corpori, sæpiùs officiunt animo, promittentes salutem contra præscientiam Medicinæ. Famuli non audent condemnare, quem Medicus absolvit adulator. Amici non adsistunt, quoniam ipsi sunt comites prosperitatis, & nulla (ut sentiunt) reperitur

peritur in Morte: & tandem moribundus ab universis fallitur, & culpæ summâ gravitate fulminatur in perennes rogos, qui illam deposuisset illicò, si crederet se moriturum; qui fieret salvus, si deposuisset illam.

Ergo si quempiam ames, ipsius potiùs Transnaturali, quam Corporeæ saluti invigilato; Notam fac illi instantem Mortem: Non, ut angas, & turbes: sed ut ad culparum promoveas contritionem, cui eliciendæ nunquam proderit sensuum turbatio. Vt dicas, & non turbes, indiges conceptuum rigidâ suavitate; rigore suavissimo uti oportet; vel qui minùs sufficias, me consule, his, aut similibus agas sententiis cum agentibus animam.

ACROASIS I.

Certior fit Ægrotus instantis periculi. Aperiuntur suaviter ipsius oculi, ut videat jam præsentem, festinam, reque infectâ non discessuram mortem.

Amicitiæ commendatio. Hominis Diffinitio Porphyriana expenditur. Angelus Mortis Prædicator: quando? In mortis nuntio nihil novi. Verbis, herbis, lapidibusque inest vis Medica. Christus herba, lapis, & verbum. Debitoris tranquillitas, quæ? quando?

NExus est magnus amicitia! Amorem imbibit, & hic æquales facit. Te Domine mi, diligo (& quod facio majoris) diligentem, ac proinde non possumus non esse æquales. Pateris morbum? patior ego, quî enim tecum non pati poteram, qui ex alto pectore compatior? Audeo dicere: magis tuam infirmitatem

mitatem sentio, quam si ipsissimam paterer, quia anima ubi magis est, magis sentit; & Augustino teste, magis est ubi amat, quam ubi informat; & te teste, te amat. Id circò dubio-procul liber ero à quacumque suspicione invidiæ, qui fortassis non fuero à benevolæ notâ adulationis. Quidquid amico dixero, amicus dixero, ac ea-propter amicè. Domestici omnes contra te mi Domine, peccarunt hodiè: Suppresso silentio tuum accusabant judicium, ac negabant Rationem, quia si crederent, quod ego annosâ communione didici, nempe te esse judicio fœlicissimum, non renuissent exprimere iam iam venisse ad terminum Infirmitatem.

Homo es (prodest Porphyrius) animal mortale rationale. Si ès animal, ergo animum habes præter corpus: anima igitur potentias interiores in hoc agone vacillantes. Verè mortalis, eras, es; cito non eris, quia? exues mortalitatem. Superest? ostendas te Rationalem esse, & ingenii fœlicitate utens, te præpares ad çternam mentis prosperitatem.

Angele mi; mors instat, cujus & ego angelus, hoc est à latere Legatus. Habeo enim authoritatem plenam, quamvis minus amaram: Immò, quam ipsa mors, fungor majore, & nobiliore. Insudat ipsa, ne agas animam; ego tamen, ut bonam præstabit nolis velis; non præstitero si mî non cooperatis.

Dixi tibi, quod moreris: verum nil novi, aut rari, id olim ipsum illa dies expressit, quæ tuâ Genesi nobilitatur. Quæ dies, quæ hora, quæ atomus hanc veritatem tacuit? quod si nondùm audieras, ultrò potentias obturasti.

Qui nullâ medicinâ quondam vitare poteras Mortalitatem,

ipſe jam nulla Mortem. Es extra ſphœram Pharmac^{o}n, extra herbarum potentiam; in vitæ limite, atque in limine Mortis.

Aut fallunt me omnes illi, quos adorat res-Medica, aut in Herbis, Lapidibus, & verbis dantur virtutes ſalutiferæ. Cui ſalutem non tribuunt herbæ omnes, quas reduxerunt ad abacum veteres Medici; nec lapilli, quos protuberat Eos, neque armonici cantus; largietur robuſtiſſimam, Herba, Lapis, & verbum. Quæ? illa, quæ dicitur flos campi, atque convallium Lilium. Quis? ille, cui innititur Romana Eccleſia. Quod? id, quod æternùm dicitur à Patre, quod ęternùm pondus ſpirat infinitum. Vel ſi minùs intelligas; Herba, Lapis, Verbum, quo ſalvus fieri potes, eſt Chriſtus. Ab hoc non petas temporalem, quia Diviné-prodigus æternam impertitur.

Summa quies debitori, cum copia fit, ut Creditori ſatisfaciat. Corpus debebas olim Terræ: fit copia ut ſolvas Creditrici; ſatisfacias Naturæ; Matri Catholicæ debitam reſtituas quantitatem: Catholicorum Matrem invoca. Pete, impetret, ut ſis immaculatus in occaſu, quę in geneſi fuit immaculata. Te agit reum terra in recto-ſeverè tribunali, petit quod ſuum eſt, cur appelles ad Medicum, quem ſcis in ipſiſſimo plectendum capite? Dato Cæſari, quæ ſunt Cæſaris; quæ ſunt Dei, Deo. Neceſſitas ſit tibi virtus. Vltrò concedas Terræ illam tui partem, quam non ſolvere nequis; pende illam Deo, quam, ſi hunc magni pendas, non poteris non benè pendere.

ACROASIS II.

Moribundi animus solido colore præparatur.

Porta Sterquilinii. Confessio an necessaria? Parrhasii historia. Causinus explosus. Licinius vindicatus. Pœnitens ceu Prometheus. Corde qui duplex. Nuncius optimus animo, & corpori. Spes in quo?

GRatulor tuæ capacitati, quòd veram de morte ebiberit ipsa sententiam. Præveniamus, si quidem prȩvidemus; quia prȩveniemur herculè, si esse velimus negligentes. Expone cor pingendum radiis excellentioribus, ut & impedimenta eliminem, atque præfigam solidum, alios colores additurus. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, induamur arma lucis, ut in die honestè ambulemus.* Mutuavit Linguȩ verba Paulus, utinam & ideas menti verba declaraturȩ.

Cum primum, opus est per Confessionis efficaciam, ex corde ex animo, ex voluntate, abjicere tenebrarum opera, sive operum tenebras, obscuritates, maculas. Naufragium passi sumus in Parente universorum Adam; passi, antequam essemus. Fuit nobis tabula, quæ aliquandiu in mediis fluctibus sustinuit, Gratia Baptismalis. Heu! perdidimus miserè! quæramus aliam, ne in æternum perdamur. Hanc invenire poterimus in Confessione: fac ergo ut inveniamus. Est in morâ periculum: invenis bis, si cito invenias: si sis dèses, nec semel.

Celebre fuit Emporium Solymarum, sed inter alias habuit & Portam sterquilinii, egerens omnes sordes. Civitas Solyma es tu,

ne igitur sterquilinii Portâ careas, immò sit hæc os, quod confessione devotè-simplici egerat sordes animę. Necessaria equidem Confessio, est ut animus ipse resurgat ante Corporis mortem. Hanc veritatem satis devotè expendunt Patres omnes; acutè satis Doctores Scholastici; ne tædeat subtiliora audire Catholicam in hac re sententiam, meis tamen incultis verbis declarabo. Confessio est (iuvat sic diffinire) actio Heroica, quâ unusquisque se pingit.

Vt meliùs hoc percalleas indiges multa mente: recreemus ergo labantem Animum Historicis expensis veritatis. Fuit Parrhasius Pictor apud Athenienses celeberrimus, cuius ars tales sæpe eformabat imagines, ut Natura non semel crediderit ipsam fecisse.

Delineaturus Promethei simulachrum, quempiam Olynthium emit. ex illis, qui severissimi Philippi authoritate, sub hastâ exponebantur. Excepit ab hastâ, quem & hastis exciperet, torqueret, atque imaginem Promethei faceret. Non erat opus tabulam superaddere, neque colorum apparatum suffundere, Olynthium fecerat imaginem vivam Promethei, & simul suæ éctypon crudelitatis.

Luserunt satis acutè plurimi contra Parrhasium, quos & commendat Causinus, optimus illorum Amanuensis, *de Eloq. l. 2. ca. 15. pag. mihi* 107: Placent acumina, sed censura non placet. Fortè faciliùs est malè censere, quam benè proloqui. Inter alios Actorem egit Licinius Nepos, (*apud ipsum Caus. l. 2. c. 16. pag.* 110. 2.) & contra Pictorem Homicidam eloquitur. *Si vultis digne punire Parrhasium, ipse se pingat.* Censor in margine: *Dictum frigidum.* Non est in culpa sol, ut eum Noctua non uideat: non in culpâ

sinten-

sententiarum festivitas, ut ipsas non calleamus, nostra tantum in causâ est ignorantia, quâ non sufficimus intelligendo. Acumen Licinii est illustrissimum: breviter explicabo.

Vtar verbis Cornelii citati inibi. *Tandem patiendum erat pingente Parrhasio, quantum irato Iove.* In hoc omnes conveniunt; hinc infert Licinius subtilissimè. Ergo si dignè puniri is debeat, ipse se pingat, hoc est, laceret, torqueat, conterat, & similem faciat Prometheo: tantum patiatur se pingens, quantum si Iuppiter irasceretur.

Sis igitur Parrhasius alter. Te cognoscis fœliciter, miserè peccavisse. Si tantum patiendum sit te pingente, quantum irato Iovâ ut dignè puniaris sufficit, quòd ipse te pingas, hoc est, ut te conteras intrinsecus, atque extrinsecus laceres pœnitentiâ, & torqueas confessione.

Patrem spiritualem accersito, & ipsi te Promethea pinge, furem luminis, religatum in Caucaso. Ego, dic, sum ille, cui per Baptismum lumen fidei vivum in possessione, & in spe licuit habere lumen Gloriæ. Erat equidem lumen ex Deo iustitiæ sole: mi non Domino, sed pupillo potiùs, & orphano concedebatur. Misere-proprietarius, quod Dei erat Lumen cum tenebris peccati commutavi, ecce in superbiæ monte alligor, Conscientia Aquila corrodit viscera; conterit corda; corda consultò dixero, qui fuero duplex corde. Peccavi Domino, qualis sum verè talem me pinxi Si tantum passus est Animus contritus me pingente, quantum irato Iovâ, satisfeci: sin minùs, defectus suppleat Christi sanguis, ipsissimoque Pater pingas. Sim hoc colore toto Corpore, toto dilibutus Spiritu, ut Iustitia Dei non possit me pertingere, quin

primùm Christi Domini sanguinem, quia longâ sum doctus experientiâ, eam, cum primùm hunc pertingit, in Misericordiam transformari.

Audire proderit Musam contra eumdem Pictorem eloquentem. Cum recensuisset actionem Parrhasii, adiunxit: *Misericordem Philippum effecisti.* Erat is in Atheniensium sententiâ severissimus. Severus infinitè est Deus, sed si te alter Parrhasius pinxeris, misericordem effecisti: quia, quâ utatur contra humiles, caret severitate.

Iuvat Pauli iterum sententiam resumere: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Nedum capio. Induamur! cur non induamus? Expendo. Abjicere tenebrarum opera per contritionis actum vitale est, & ideò â nobis, ceu â principio intrinseco. Arma, autem auxilia, favores prævios, concomitantes, & subsequentes, non induimus, sed induimur; non enim est volentis hominis, sed miserentis Dei, quia si homo ex Dei misericordiâ non indueretur arma lucis præviæ gratuita, non abjiceret tenebrarum opera, quibus intricabatur.

Teneris, Domine, hæc audire hilaris, & gratari expendenti. Sæpè amara sunt Pharmacothea. Debes Deo vitam, atque cogeris restituere, qualibet nolis. Restituere invitus, quodammodo negare est: Obedientia, cui pedissequę tædium, non equidem heroica virtus, sed ignobilis rebellio est.

Apostolus memoriæ occurrens ideam dictat, eccur non dictaturam? *Qui sumus*, ait, *in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eò quòd nolimus spoliari, sed supervestiri.* Inde correctione dignissimi, quòd gestiamus Purpuram Empyream superinducere, nondùm

dùm depositis ignobilibus terrenè faccis.

Sis ergo legatus boni nuntii,animo,& Corpori. Illi libertas, requies huic prævenitur. Stulta est admiratio,si sit de rebus necessariis:non ergo licet admirari, atque horrescere mortem, cum non possit non esse. Sperare impossibilia est fatuitas; inevitabilia pertimescere est ineptia:debitum negare injustitia. Fatuus igitur audies,si speres immunitatem contra mortem:ineptus,si hanc timeas;iniustus si temetipsi neges.

Iam omnia,Domine,negotia perierunt,quæ tuam perdebant requiem,fugabantque tranquillitatem.Fortunæ te non manent, sed remanent.Salus fatigat.Vita te deserit:ergo, ne (quæso) invitum.Opus tibi hercule contemptu,& oblivione,ut illas vili perdas;elimines has ex memoriâ. Opes fuerunt hypocrisis, atque splendida vanitas:salus fuit vanitas,quia vanè insumpta: Fuit vita Vanitas,& ideò evanuit:Omnia profectò Vanitas, temporis helluo,horarum edax;cujus, quarum solùm remanet terminus, si credas Stagiritæ,indivisibilis. Hunc saltim hominiRationali concesseris,qui totum,totas sensitivo. *Te peccati vel tunc pœniteat,* Chrisologi Petri (*Serm.* 43. verbis utor,*quandò sentis te jam non posse peccare;& tunc saltim reatum deseras, quando te reliquerit reatus. Facias de necessitate virtutem;moriaris innocens,qui totus in crimine vixisti.*

Concedaris igitur novo jubilo. Vita jam tua, quæ huc fuerat mors hanc exuit, ut indusiet vitam. Sic speras,sic speres, non ex propriis, sed ex meritis Christi, ex patrocinio Dominæ, atque Sanctorum interventu. Opera recensui non Christiani, sed Christi.

sti. Insipiens esses, qui in tuis opellis sperares: qui autem in Christi Domini meritis desperares, esses insipientissimus.

ACROASIS III.

Ad Dominum Deum Christianæ Fidei & contritionis Protestatio.

Beatitudo naturalis: quæ? quando? Oratio ad Dominum Deum. Condemnati etiam Deum glorificant: qui? Quid à Deo petendum. Deus clementèr irascitur. Protestatio Fidei.

FElix status, in quo excurrit penultima periodus infirmitatis; quem manet clausula, quemque dolorum finis. *Ære ciere viros. Martemque accendere cantu* dolose, gestiunt Caliginis obscuræ Principes, induamur ergo Lucis arma, ut contra eos heroicè dimicemus. Induamur Oratione, ut ut fugemus inimicos. Vtitur oratio Lucis armis, idcircò non solùm tenebrarum operas, sed eliminat ipsam mentis caliginem, Animi maculas, ac Appetitus cœcitatem. Præcentor materiem exponam, sed à devotione tuâ animandam. Imitationi sit Lingua non animus; illa sufficeret, quamlibet minùs culta; parum is prodesset ęque tepidus, opus est intensior, & robustior. Non prædico, si non prædico, Oraveris.

Te imploro Domine omnium Causarum Principem: qui dependes à nemine; & es principium primum à quo & alia dependeant. Vestra me pientissima Potentia fecit aliquid ex nihilo, ante quam

te quam possem petere: igitur vestra me potentissima Pietas ex malo, moratum bene efficiat, summo cordis affectu deprecantem. Dirige me, ut bene currere desinam, qui male incepi, & pejus fuero prosequutus. Patrem te invoco, respice me ceu Filium: cur non haberem spem summam, cui Iudex, qui Pater: cui vindex, qui amantissimus? An excusabo excusationem in peccatis? excusabo equidem, sed non potero non exponere tuæ Misericordię Naturæ meæ fragilitatem, quam non elegi; non potero non muniri tuo sanguine Domine: Delicta mea sunt mea voluntas; Actor, meus intellectus: Memoria est mihi metui; Testis, qui accusatione me perenni affligit, Conscientia est. Me miserum! Tibi peccavi ipsi, qui futurus es Iudex: si non est mihi apologia mea Mater, quæ me concepit in delicto; sit apolysis, tua, quę fuit concepta sine labe.

Scio equidem me non posse non pendere honorem, & gloriam tuæ cœlitùs-empyreæ Majestati. Si condemner, dabo Gloriam tuę Iustitiæ; si fiam salvus, tuæ Misericordiæ. Cognosco me potuisse non delinquere, sed fateor pœnam mihi inferendam non posse te non glorificare. Lauream empyream dabis homini; Palmam virtuti, pœnam peccatis ipsius hominis. Provide ergo Domine creaturæ tuæ: hæc est homo, non culpa, quia hæc à te non oritur, neque dependet. Supponamus me esse tam malum, ut condemnari velim; nihilo seciùs tu es tam bonus, ut velis omnes mortales fieri salvos. Ergo si instem, si dicam. *Fiat voluntas tua; non mea:* nusquam loquutus fuerim aptiùs.

Concede, obsecro, quod meæ saluti convenit, nusquam autem quæ mereor; quia qui cœlum deprecor, atque committo

crimina. non ſtipendia peto meriti,ſed gratiam,quâ me illachrymor miſerè indignum.Da mihi quę ſapiens nôſti dare:aufer quę neſcio poſſidere.

Confiteor tuam ſummam Potentiam in rerum conditione; ſed & Clementiam in criminum condonatione,ſummam. Miſericors es cum ignoſcis:ſupplicio excipis iratus juſtè, ſed cum iratus fueris miſericordiæ recordaris.

Iterùm te invoco,& voco Patrem:an audax ideò? ſi Filii nomen magnificum uſurpo, præceptis ſalutaribus monitus, & Divinâ inſtitutione formatus, auſus ſum te nominare Patrem noſtrum.

Proteſtor me fuiſſe,& ſemper futurum eſſe Filium tuum, ac perinde Eccleſiæ Catholicæ Romane-Militantis: Declaro illam unicam eſſe animam meam,quæ in tuâ fuit gratiâ: illum unicum meum intellectum,qui ſtuduit tibi contemplando: illam ſolum,meam voluntatem fuiſſe, quæ te adamavit ſuper omnia: illam meam Mentem, quæ tibi credidit; & denique illum unicum eſſe me, qui tibi ſervierim,coluerim,adorarim. Quod ſi huc, quod ſi pòſt, quiſpiam meorum ſenſuum, interiorumque aut exteriorum quæpiam facultatum,defectionem à tuâ militiâ fecerit; aut adheſerit hoſtili Labaro. Proteſtor hanc, illum non eſſe meum,& ideò accuſo, atque condemno exorbitantias ſimiles,& declaro mihi non eſſe voluntarias.

ACRO-

ACROASIS IV.

Venitur ad primum Agonem, vincitur Inimicus.

Angelorum Custodia maximè necessaria. Salutatur Angelus. Ἄγγελος est nomen officii non naturæ. Humilitas Dœmonem vincit. Primus conflictus Animi, & Dæmonis. Quis se accusat Dœmonem vincit. Conflictus alter. Dœmon Antæon alter. Conflictus tertius. Humilitas nusquam ex pes. Deus Pater hominum. Conflictus quartus; quintus. Maximum mortis beneficium: quod? Conflictus sextus. Devivens non deserit amicos, nec affines. Conflictus septimus, octavus. Deo plus debemus homines, quam Angeli. Conflictus nonus. Anima immortalis.

SIquidem protêstationem, præposuimus quâ Dæmonis machinas annullaremus; qui provocaris ad duellum, ante quam conflictum instituas, saluta tuum Custodem Angelum, cujus auxilio à summis periculis es expeditus. Dic;

Salve superne Spiritus; ille, inquam, qui cælitus concederis mî custodiendo: Te, qui es Pars lucida cœlestis Exercitûs; te, qui es splendor lucide-immaterialis: te, te imploro, propter illam Gratiam, quæ te in statu continuit, à quo non pauci ceciderunt; obnixius deprecor; sis mihi Dux, atque perpetuò manuducas. Debilis contigit mihi Natura, sed roborabilis: sis ergo virtus, Lux, Robur, & Fortitudo voluntati. Optime Spiritus, ego tuum nescio nomen, ut id potuerim invocare; scio nihilominùs tuum officium, & hoc sufficit, ut tibi non me exhibeam ingratum. Tuere ergo me, ita ut tua non sit mihi inutilis custodia; ita ut tuus pu-

pillus adipiſcar eam ſedem,quam perdidit tuus Conſodalis. Tuêre me ab hoſtibus illis rebellibus,qui tuæ ſunt æquales Naturæ, qui tuæ Antipodes Gratiæ,ab illis inquam, qui non ſteterunt, ut tu:& ambiunt,ego cadam,ut ipſi.

Dei igitur Optimè-Maximi præventus Gratiâ, Cuſtodis ſpiritus ſuffultus aſſiſtentiâ,non eris temerarius, ſi venias ad Agonem,dimicaturus cum Apoſtatâ Angelo. Igitur (*Valer. Flacc. Argon.l.5.*)

Surge,age,& in duris haud unquam defice, Cœlo
Mox aderis, Teque aſtra ferent.

Igitur ad Aſtra transferendus,à tenebrarum ſpiritu ad ſingulare certamen provocatus, indue armaturam-Fidem,ſcutum-ſpem & gladium-Charitatem.Te prior proteget,defendet altera, ultima fugabit inimicum.Subtilis hic,& in laqueis parandis expertiſſimus,ſed miſer debellandus,ſi contra machinas hæc fulmina ab humili corde explodantur.

Ecce adeſt mortis collatero, communis inimicus. Qui ſperas, ait,ad candorem cœlitùs niveum devenire, qui es conceptus in maculâ,cui pòſt quam plurimas adnumeraſti?An non ſcisDeum juſtiſſimè-ſeverum eſſe,qui & in ſtellis maculas, inque Angelis reperiit pravitatem?Faciem ejus non audeſcunt Angeli proſpicere,& audentior tu prçſumis ad ejus præſentiam devenire? An non ſufficeret tibi fuiſſe fragilem, cur & inſolentiam prætefers? ſanè,peccaſſe fragilitatis fuit;ſiſtere ſe Iudici,inſolentiæ! petebat, ne cum eo Deus intraret in judicium,& exigeret rationem vitæ? Cur condemnari renuis,qui peccata commiſeris, quibus ſit impoſſibile non condemnari?

Cur

Cur audias immateriali ſtylo inimicum tuo cordi ſimiles verſutias ſuggerentem, ut quem compotem fecit ſui peccati, ſuæ faciat participem condemnationis: convertere ad Patrem Ingenitum, cui: *Averte faciem tuam à peccatis meis, & reſpice in faciem Chriſti tui.* Hinc contra Dęmonis ſophiſmata fulmen terribile. Huic: Deſperarem, dic, ſi ſolùm Deus eſſet ſcelerum Vindex, ſed eſt Miſericors, & veniam promiſit peccatoribus; dignè petentibus. Robuſti Medicinis non indigent, ſed ægri: ideò cum me peccatorem conſiderem, oportet ut à me Dominum non repellam. Si dixerim, quod peccatum non habeo, ipſe me ſeduco, & veritas in me non eſt. Si confitear in cordis contritione, fidelis eſt Dominus, & juſtus, ut remittat peccata, & à labibus quibuſque emaculet. (1. *Ioan.* 1.)

Te peccatorem eſſe nititur oſtendere Inimicus; concedis ipſi te non ſolùm in multis peccaviſſe, ſed in pluribus rebus; Hoc eſt te accuſare, atque Dæmonem vincere. Deus! Crimina, defectus, maculas, ſuggerit, atque ſollicitat tenebrarum Antiſtes, ut Gratiam perderes: modò hæc ſuppeditat reminiſcentiæ, ut expes fias. Tu memoriâ hac excitatus, in contritionem, & culpæ confeſſionem deveneris, Lucraris Gratiam, & peccatum eliminas, ergò malignum iiſdem armis fugaveris in triumpho; quibus ille te curabat addicere trophæo viliſſimo deſperationis. Scelerum memoriam amat Dæmon: Scelerum Memoriam odit! qui? Afficit odio pœnitentem: diligit pertinacem. Maledictus qui peccat in ſpe, ſed qui ſine ſpe magis eſt maledictus. Non peccemus: quod ſi peccârit aliquis, Advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum Iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris (1. *Ioan.* 2)

Replicat tenebrarum Rector spiritum tuum directurus; ne concedaris tam cœcus directioni. Deus, ait, interdicit peccata, creavit inferni pœnas, leges jure sancitas temerantibus; non ergo salvum faciet te, qui est infinite-justus, cujus Misericordia multa nimis, nusquam tamen injusta. Sicut condemnare innocentem, summę estInvidię, non secus nocentem absolvere summę est iniquitatis. Cæterùm tu ipse nocens es, & Deus iniquus esse nequit.

Satisfac, satisfacio Nocentibus non ignoscunt homines, quia sunt fragiles, vindicativi, & in actionibus quibusvis imperfecti. Mihi veniam non consulis, qui neque tibi. Tua te perfectio superbum reddit? immeritò: ipsa equidem in causâ est, ut nequeas resipiscere, ac propterea sis æternùm miser: mea in causâ imperfectio ut possim mutari, ac proinde relicto te, confugere in meliorē frugem. Deus est summe bonus, immò & summum bonum: est Iustitia misericors, ac ideò justa Misericordia. Nos peccamus, & ipsius corpus sacratissimum, *ut nos lavaret crimine manavit undâ sanguinis*. Passus est pro nobis; & qui peccata persequitur, prosequitur amore peccatores: ipsis inspirat pœnitentiam: hancque agentibus justissimè veniam concedit.

Hæc hominis non faciunt, nec miror: Quis enim sicut Deus? Audisti verba, quæ & olim damno proprio, quæ tua exagitat memoria ęterno. Eadem me sententia absolvit, quæ te condemnat. Præsumpsisti assequi Gloriam sine Deo; das pœnas: spero Gloriam sed à Deo, & donor pennis, ut volatu penitiore te fugiam.

Quid ad hæc Acherontius? quid stygius Antæon? corruit repetitâ sententiâ, qui corruerat olim intimatâ. Cadit fulmen in Terram, in Abyssum. Antæonis similis resumit vires, exsurgit

iterùm

iterum, ut contrâ explodat. (*Æn.6.*)

Nunc animis opus est heros, nunc pectore firmo,

Cave tibi ab hoc fulgure. Doloso instructus artificio auditur: Tu, tu (inquit) sepulchrum dealbatum, cujus cor millenis peccatis scaturiit, præsumis devenire ad Gloriam? hęc præmium est: hoc labori impenditur, ignavię denegatur: & tu non nisi ignavus. Summę arrogantię est index, hæc ambitio. Gestin' comitari in felicitate, & beatitudine, Petrum, & Paulum, quos deseris in mortificatione, imitatione, observantiâ, martyrio? Nova addis sceleribus antiquis crimina, præsumtio etenim arrogantia est, quæ semper cum crimine, rarò sine criminibus.

Ne turberis; ne desperes titulo dolosæ humilitatis, quia exspes non est humilis, sed merè Pusillanimis. Ibo ad Cœlum, responde non ut Petrus, aut Paulus, sed ut Latro ille fœlix, cui me animans, dixit qui poterat. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Terrebar fateor, quotiens culparum gravitatem ad meam memoriæ revocabam:

Sed jam gravi solvit metu Latronis absolutio.

Miraris? non demiror: stupeo quoniam non stupescis; quia teste Ecclesiâ, tui olim Comites, jam vindices, jam pessundantes.

Opus stupent & Angeli Pœnas videntes Corporis. Christoque adhærentem reum Vitam beatam corpore.

In hac videbo Petrum, & Paulum; quorum in altero mihi est spei negatio, in alio persequutio. Christus respexit illum, atque hunc vocavit. Me vocavit jam olim, me respicit, me revocat; & meritis defidens propriis, suis meæ vocationis efficatiam confido

Ipse mihi Pater, ergo & ego ipsius Filius: si Filius, ergo & hęres. Non possum non vocare Patrem, quia hoc est mihi inter præcepta

pta salutaria. Dicebat aliquandò, Pater hic ipse meus. Quis ex vobis, si petat à Patre suo panem, pro eo lapidem? Si piscem, acceperit pro illo scorpionem? Igitur si vos cum sitis mali largimini salubria filiis, a fortiori Pater vester qui in Cœlis est, impertietur sanctitatis Spiritum humili affectu deprecantibus. Audebis ire inficias? hæc sunt verba Patris, & iis dicuntur omnibus, qui invocant eum. Ego peto veniam, & gliscis mihi persuadere te daturum mihi condemnationem? Qui non me annihilavit peccantem, dicas quid velis, non condemnabit pœnitentem. Ego sequutus te, (*det verba Chrysologus serm.* 11.) cum me ipsum, perdidit prærogativam Filii; ille non desiit esse Pater: & ideò Paternitatis relatio respicit absolutum, tamen respicit: & si Petro roganti suffecit ad auxilium, quod à Domino respiceretur: cur non superit mi confitenti. Peccavi; sed audio illum, qui & vox audit aurea dicentem (*in Serm.* 4.) *Non videt delicta vis Amoris, tardam Misericordiam Pater nescit.*

Victum hoc vulnere conspicio Dæmona, non vinctum. Gratulor tibi pessundanti, vincenti. Eri igitur vincens, ut vincas, quia adhuc sub pedibus poterit te intricare, ut cadas. Submurmurat, juvat audire. Concedo te, inquit, tuo errori; in præsumptione tuâ persevera, equidem à multis annis te expecto, & in hac spe perseverabo.

Persevera, dices, & deprecor tibi spem æternam; quia spes, si meministi, induit carentiam possessionis. Non stat per te, quod ego absolvar, aut condemner; es enim non Condemnator, sed condemnatus; es hostis, & actor, sed non Iudex.

Totiens victor ne timeas Domine, ne timeas. præparat hostis

nova

nova arma, semper vincendus. Nititur tibi persuadere animum tuum esse mortalem. Antequam hanc pronunciet hæresin, tu: Quæ desero video, non quæ spero: sed tu quæ deseruisti, non vides, & mihi id invides, quod non speras. Quæ video sunt caduca, & naturalia: quæ spero, atque non video, sunt supernaturalia, sunt æterna. Veracior fides sensu. Illa falli non potest, iste fallitur crebrò, Neque oculus vidit, neque auris audivit, quæ preparavit Deus timentibus se. Tu vis meum excœcare animum, & oculos acuere corporis; sed Christus è contrario fide suâ hos alligat, & acuit illū.

Desero Mundum, atque delitias, fateor: grator tibi, quòd dixeris; congratulor mihi, quòd facio. Plura debemus morti, sed inter cætera non est mediocre beneficium, quod hominem ex mundo abstrahat, & ex gaudiis miserè adulterinis. Contemptis, delitiis Mundialibus sum capax vitæ æternę, cui ipsissimæ sunt impedimento. Eas contemno in morte, utinam & anteà contempsissem. Melius autem est contemnere serò, quam nuspiam.

Si objicias, mendacii Author, me relinquere Amicos, exhibebis te veritatis antipedem, exque diametro contradicentem. Non illos desero, sed præcurro, ut eò præveniam, quò festinant. Salus ipsis est impedimento, ut mî nequeant præire. Infirmitati debeo, quod præcedam. In vitâ multa est captivitas, in morte animus uinculis antiquis absolvitur, atque donatur libertate. Quæ pœna fuit peccato, est expeditio Spiritûs, qui vitâ antiquitus impediebatur. Ex eo ipso sum fœlix, quod discedam, ideò superstitibus, qui hoc percalleant, potero esse inuidię; & mihi hi compassioni.

Cum, mi amice, ista dixeris, exspes erit hujus sæculi Princeps, sed non omittet ideò tuæ insidias ponere tranquillitati. Proponet

oculis labantibus vxorem viduam, atque Filios orphanos: tunc ilicò recordare Deum esse Patrem Orphanorum, ac Iudicem viduarum: Ergo tui non perdunt filii Patrem; sed meliorem sortiuntur. Vxor vidua non remanet, quæ si bona fuerit, est Christi Iudicis sponsa. Christo illos, illam, relicturus post mortem, superstes offeras, ut sit tibi merito, quod pòst necessitati.

Si suggerat de absolutione, & obtinendâ veniâ dubia; ne his tuum cor patefacias, quod spei totum. Dic humilis: Sum propter mea peccata dignissimus rogis æternis; sanguis verò Christi Domini; intercessio illius Virgineæ Principis, quæ meo Iudici Mater, Sanctorum Patrocinia; Ecclesiæ suffragia; Viventium Orationes; à Pontifice Romanè-summo concessę indulgentię in causâ sunt legitimâ, ut sperem me non deventurum esse, quò tu, qui desperasti. Nescio quid mihi fiet in judicio: sed scio plus expendisse pro me Deum, quam pro te. Creaverat utrumque, sed me unum redemit: illud verbo præstiterat, at istud sanguine.

Sed audivi: protulit. Non est altera vita, memento mortis, ut superstes plus vivas, & te nulli deneges sensualitati.

Sed contra. Quamlibet unica solum esset, & nulla Deus præmia obedientibus impertiretur, deberemus ipsi audientes esse titulo gratitudinis: Homo non solum corporeus est, sed Rationalis: cur hoc Christianus denegem, quod ratio efficax Gentilibus ipsis aperuit. Annon Idololatra Ovidius? Habes ipsum in Metam. 15.

Nos quoque pars mundi, quoniam non corpora solum,
Verum etiam volucres Animæ sumus.

Qua corporeis brevis nobis vita conceditur, manet quà-incorporeos ęterna. Te prodis, cum asseris ipse contrarium: te disso-

lutum exhibes cum negas, quæ cogeris tuo damno confiteri. Ego credo animæ immortalitatem atque perennem beatitudinem, non cum aliquâ formidine, ut ex tuis quipiam, sed summâ cum animi securitate. Æternitas manet hominem in Pœnâ, aut Gloriâ. Hanc perdidisti, quam adipisci poteras; illam, quam negas, pateris; tuaque Æterna condemnatio refutat efficax versutias fallaces tuæ doctrinæ. Æternus est meus animus, ęternas pœnas mereor propter delicta mea, æternam nihilosecius Gloriam spero, expecto, propter passionem Christi. Fecit te æternùm miserum noluisse Christum adorare, & me adorantem non faceret Misericordia Dei per æterna sæcula fælicem? Invides mihi Gloriam video, sed prouidet condonaturus, ut tibi sim invidiæ sempiternæ.

ACROASIS V.

Venitur ad agonem alterum: non vincitur modò, sed & vincitur inimicus.

Latet Dæmon anguis in herbâ-securitate. Conflictus primus. Gratiæ vis qualis? Non sufficit justa, sed justè. Alter conflictus. Dæmon verax quando? cur? Verum ieiunium: quale? Conflictus tertius. Quæ Eleemosyna bona? Conflictus quartus. Catholicæ mentis resolutio.

VIctus en fugit hostis, sed reversurus. Tot perdidit spicula, quot jecit: exit inermis, ast armandus, & ex contrario angulo tuam animam impugnaturus. Prævenit, viden', laqueos, & pingit securitate adulterinâ. Gliscit ex corde tuo omnes educere timores, ut & illum, qui est sapientię principium. Iam

loquitur dialecto novâ. Videtur quasi velit tuam spem, Fiduciamque corroborare. Laude es dignissimus, ait, quod totam vitam expenderis in Dei servitium; esses expes, & infidus, si tot instructus meritis Gloriam Cœlestem desperares. Bonis operibus debetur Gratia, & Gratiæ Gloriæ.

Hic indiges tuâ mente totâ. Hic, hic, mi Domine, ubi pericula sunt, quasi immensa, quibus cedunt innumeri. Hic non sufficis tibi, non ego tuæ securitati: indiges, indigeo Magisterio. Sese reponit Augustinus, intenta ora teneamus. *Merces*, ait, *debetur operibus bonis, si fiant: sed Gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* His instructior, responde. Nihil non reprehensione dignum feci, quod si quidpiam bonum, præstiterim non sine Gratiâ, undè & illud ipsi debeo; cui hanc. Opera, quà mea, essent æternis cruciatibus digna, si auxilia Dei defuissent; iis igitur & totus debeor, & totum debeo. Omnia, quæ gessi injusta, injustè gessi: aliqua si justa exhibui, heu me! quoniam non semper justè.

Poterit iterùm explodere contra humilitatem, sub specie Abstinentiæ Iejunium, dicet, est sanè potentissimum, & tu frequentiùs iejunasti.

Sed contra tu. Sæpe nèquam veritatem attingis, non ut attingas, sed ut intingas, & dedecores. Hanc profers, ut subsistat mendacio. Potentissimum est iejunium? fateor, sed me jejunavisse, non concedo. Iejunia vocas illa mea? si ego tuo uterer Lexico, toto Cœlo à primâ veracitate deviarem. Sæpiusculè non comêdi, condono: sed si bene expendo; hoc potiùs ex parcitate fuit, quam devotione. Audi auream vocem. *Qui ieiunans, prandium suum non erogat sed deponit, Cupiditati probatur ieiunare, non Christo,*

quia

quia parcitas ista quantum siccatur in corpore, tantum tumescit in sacculo: vel ut expendebat nescio quis, quantùm debilior, & parcior in eduliis fit, eò magis pinguescit in fastu, & in crumenâ.

An credis illum quiescere? Victus est, & iterùm te vocat in certamen. Violat Eleemosynes decus, ut tibi præparet laqueos difficiles. Illam summis laudbus invehit: & post te asserit pientissimum, atque beneficum. Sed hanc enoda difficultatem facillimâ dissolutione.

Quantum de me effutis (dic Dæmoni) jam olim de se propalabant Pharisæi: nempe Hypocritæ illi maledicti, qui plausum venabantur, interiusque decus habebant precio nihili. Dedi equidem aliquam eleemosynam; non tamen quam, neque quibus debueram. Fastus meus tyrannicis expensis pauperum alimoniam; mea avaritia egenorum patrimonium usurpavit. Mea fuit vanitas eis nuditati, atque luxus approbrio. Quis mihi sensus, quod membrum, quod non teneatur restituere miseris impensas summas? Proindè à Deo veniam deprecor, tum de eleemosynis, quas malè fuerim impertitus; tum de illis etiam, quas possem impertiri benè. Legi apud quempiam.

Non bove mactato Cœlestia numina gaudent;
Sed quæ præstanda est, est sine teste Fides.

Si quandò pauperi confratri fui fidelis, nusquam ei sine teste. Sed jam pœnitet quotiens à Chrysologo (*Serm.* 9.) instruor. *Homo si in paupere Deum fœneras, testes homines non quæras. fides arbitros non requirit: de accipientis fide disputat, qui sine mediatoribus nil dat, qui credita disfamat, urit verecundiâ creditorem.* Huc ille.

Magnum Sacramentum est Eucharistia? Quis abnegem? sed

indè quid(dic Hosti)ut superbescam?sæpiùs id recepi! unde scio utrum dignè?Audivi Paulum asserentem,eum sibi mortem atque judicium manducare,qui indignè Eucharistiam præsumat. Hinc (me miserum!) infero judicium contra me sæpiusculè sumpsisse.Neque despero iccircò.Scit Deus ignoscere peccato ex cibis.Si pepercit comedenti contra se,cur non etiam ignoverit se comedenti?

Tandem te fugo malevole inimice asserens, me tuas versutias penitius percallere.In primo,in altero te agone vicero, quia nec confido meis meritis,neque diffido passioni Iesu Christi,vociferis quidquid velis,in hoc asserto unicè,perseverabo.

ACROASIS VI.

Tradit Domino spiritum.

Victoria inutilis sine perseverantiâ.Oratio Dominica: quanta? Indicitur nobis,ut Deum vocemus Patrem. Deus est in cœlis:quî? Nisi regnum Dei venisset ad nos,non ingrederemur in illud. Peroratio.

IAm vides,(Macte,animo) pessumdata vexilla hostilia; jam arma victa,caliginis fugata castra.Multum est vicisse Dæmonem,nec sufficit:est opus constantiam àDomino impetrasse. Oremus,nec prolixâ Rhetoricâ methodum inveniamus, neque quæramus verba,sed docti à Verbo cœlitùs-Infinito, ea proferamus unicè,quę ipsum instituit proferenda.

Orationes in Missâ plurima leguntur devotissimę, solùm autem Dominica prævenitur Prologo satis particulari. *Præceptis salutaribus*

ſalutaribus moniti,ait ſacerdos,*& Divinâ inſtitutione formati, audemus dicere:PATER NOSTER.*Et optime. Quia ſi Deus non præcepiſſet,quis mortalium audeſceret eum vocare Patrem? Dabo Tertullianum,(*de orat.Domin.cap.9.*)qui deficere non poteſt ſine ſententiæ damno,ac Lectorum incommodo. *Quid mirum? Deus ſolus docere potuit,ut ſe vellet orari; ab ipſo igitur ordinata religio eſt Orationis;& de ſpiritu ipſius iam tunc,cum ex ore Diuino ferretur animata ſuo privilegio aſcendit in Cœlum,commendans Patri,quæ Filius docuit.*

Oratio hæc Dominica magna eſt, ſed ſi benè inceperis,dimidium habes.Incipies benè,ſi corde contritè-humili Deum voces, atque invoces Patrem:Non tuum ſed noſtrum;quia non eſt perſonarum exceptor, qui ſolem ſuum oriri efficit ſuper bonos, & malos.In Cœlis eſt ſimul & Terris :inibi attamen particulari titulo,eſt etenim quà Glorificator. Nomen ipſius non poteſt non ſanctificari,quia ſanctum eſt:non poteſt non glorificari, ſiue à pœnâ,ſive à præmio,nihilominus poſtules,ut ipſi ſis Gloriæ, quà Clementi,& quà Miſericordi.

Hoc ultimum addere oportet: *Adveniat Regnum tuum.* Si peteres à parco,& ignobili,diceres: *Veniam ad tuum Regnum.* Sed Deus immensè-liberalis ut oſtendat ſuam Miſericordiam,mittit nobis ſuum Regnum,quotiens Gratiæ favores impertitur. Et ſiquidem ultimam agis animam,imitans Latronem ſanctum, dicito. *Memento mei Deus.qui præſides in Regno tuo.* Idem Verbum, quod tunc,cur non audietur etiam dicere : *Hodie mecum eris in Paradiſo?* Sonat!auditur!audiit!Confide ergo qui hoc percipis,& pende hilaris Spiritum,Gloriam Tranſnaturalem concedenti.

Iam cum tandem tradideris causarum Maximæ! congratulor tibi fœlici, quia beati omnes qui moriuntur in Domino: Obsecro, pro me perpetuus intervenias, ut qui superstiti fui patrocinio te posthumum Patronum habeam.

FINIS.

CENSVRA.

Hujus & Museôn aliorum.

HÆc Musea nîl orthodoxæ Fidei, aut probis moribus contrarium continent, quin immo proderũt, & illi defendendæ, & istis etiam reformandis. Operi præfixus scopus est, devotionis promotio. Author in carpendis vitiis, commendandis virtutibus ostendit eloquentem pietatem ingenii felicis appendicem. Vt habeat Lector proficuam conceptuum varietatem publicâ luce digna judico. Actum Antuerp. pridie idus Martias. MDC.XXXVII.

Gaspar Estrix S.Theol.Licenc.Canon. ac Plebanus, atque Libr.Cens.

Idem censuerat Reverendus admodum Dominus Christophorus Butkens Præl.S Salvat. Antv. Kalendis Ianuariis anni ejusdem.

Approbat Revered. Vicarius Generalis DD. Bernardus Campmans Abbas Dunensis meritissimus.

Aliqui irrepserunt errores, sed cum occurrant corrige.